BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 B
22

~~14-33-a-34~~
14-5-B-10.

APOMASARIS APOTELESMATA,

ſiue

DE SIGNIFICATIS ET EVENTIS INSOMNIORVM,

ex Indorum, Perſarum, Ægyptiorumque diſciplina.

Depromptus ex IO. SAMBVCI *V.C. bibliotheca liber, Io. Leunclaio interprete.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRTI.
Excudebat Andreas Wechelus.
M. D. LXXVII.

Cum priuilegio Cæſ. Maieſt. ad decennium.

Io. Levnclavii

AD MAGNIFICVM ET GENEROSVM DOMInum Hieronymvm Beck à Leopoldſtorf, Cæſ. Maieſt. conſiliarium, & annonæ bellicæ per Pannoniam præfectum, in Apomaſarem ab ſe conuerſum

PRAEFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Q*VVM anno ſuperiore proximo, reuerſo mihi è Pannoniæ limitaneis oppidis atq; burgis, vti veteres loquebantur, græcum hunc Apomaſaris libellum è bibliotheca ſua legendum exhiberet* Io. Sambvcvs, *V.C. cuius equidem de me bene meriti nomen cum honore, ceu par*

eſt, vſurpo; quòd eius me lectio mirifica
voluptate quadam impleſſet, facere nõ
potui quin eum & Latinè tranſſcribe-
rem, & bona cum optimi viri pace, cu-
ius ipſe codex erat, cum alijs communi-
carẽ. Sperabam enim fore nõ minus vt
eum alij naturæ arcanorũ ſtudioſi, pro-
barent; atque mihi, non perfunctoriè
totum hoc argumentum tractanti, pla-
cuiſſet. Nam expoſitas heic reperie-
bam interpretationes viſorum noctur-
norum pleraſque nõ argutas modò, ſed
etiã diuinas: in quo mihi lubenter ad-
ſenſuros arbitror, quicumque rem to-
tam adtentiùs conſiderabunt. de cete-
ris, qui ex animi ſui libidine pro reijcu-
lis habere ſolent, quæcumque moroſis i-
pſorum cerebris haud arrident; Hip-
poclidæ nulla, quod aiunt, cura. Non
enim neſcio, quæ nobis illi ſint obiectu-
ri, totum vt genus hoc ſcriptionis ſuſpe-

ctum reddant. Nihil obſeruatione ſomniorum vanius atque futilius eſſe clamabunt. eamdem ne ſuperſtitione quidem carere poſſe dicent. Græcorũ quoque voces adijcient, quibus illi vulgò perhibebãt homines ſtolidos à ſomniis, quaſi pennis quibuſdam extolli. Præterea morem hominum nobis opponẽt, qui ſomnium adpellare conſueuerunt, quidquid falſum & fictum eſt. alia denique non pauca, inſtituti noſtri carpendi cauſſa, proferent; quæ nobis neq; commemorare omnia, neque refellere viſum fuit: vt animo lectoris, ad ipſum Apomaſarem tendentis, oratione prolixiore moleſti non ſimus. Non *inſitiamur, vt in alijs rebus bonis & vtilibus; ita in hac etiam obſeruatione quemdã eſſe abuſum poſſe, cum ſuperſtitione, curioſitate nimia, vanitatéque cõiunctum: Sed interim prorſus eorũ explo-*

dendam eſſe ſententiam dicimus, qui omnem propterea rationem ſumendorũ è viſis nocturnis præſagiorum euertũt. quippe nequaquam dubium eſt, ſomnia quædam eſſe, quæ planè diuinitùs hominibus immittantur. horum exempla ſacris è litteris, & omniũ temporum hiſtoria, peti plurima poſſunt. Et apud Homerum videmus Achillem fateri, ſomnia diuina eſſe, quum ait:

A Ioue proueniunt quia ſomnia---

Quòd ſi etiam certiori res auctoritate confirmanda eſt, ſcimus in libro vatis ſacri perſcriptum eſſe, futurum extremis temporibus, vt in populo, verum cœli numen colente, iuuenibus viſa quædam, & ſomnia ſenibus offerantur. atque hoc ipſum oraculum etiam ſacris iterum in litteris eſt repetitum. Et quis adeò perfrictæ frontis fuerit, vt huiuſmodi viſa, diuinitùs obla-

oblata, vel eſſe reijcienda, vel non obſeruanda, dicere audeat? Sunt item ſomnia, quæ temperamentis humorum in ſingulis hominibus congruunt. nec illa quidem negligenda, ſi medicis parêre volumus. nam colligi de his quaſi præſagia quædam morborum imminentium ex abundantia vel atræ, vel flauæ bilis, vel pituitæ, vel purioris etiam ſanguinis, poſſunt. Itidem natura quibuſdam offerri viſa directè rem ipſam monſtrantia, nec aliqua cum obſcuritate, ſed abſque ambagibus, conſtat. Et quis illa mẽte præditus neglexerit? immò quod maiorẽ meretur admirationẽ, nõnullis offeruntur ſomnia, quæ ſpecies veras exhibent, & res intellectu facillimas oſtendũt. Ita M. Tullij de Octauio, qui deinde C. Cæſaris Auguſti nomen habuit, illuſtre ſomnium fuit. Nã per quietem videre viſus eſt, aurea

catena puerum de cœlo in capitoliũ demitti, acceptis à Ioue flagris. De eodem Catulus ſomnium habuit, in cœtu patriciorum puerum quemdam accedentem in capitolio ad Iouem, recondere in ſinu imaginẽ Romæ, à Ioue traditã. Quumque neutri tunc notus adhuc eſſet Octauius, vterque poſtea de forma, quam in ſomnis conſpexiſſent, illum fertur adgnouiſſe. Sic & Alexandri regis ſomniũ euidens fuit, quo radix ei ſalubris per quietem eſt oblata, quam draco decerperet. Mitto de Cambyſæ, mitto de Xerxis, aliorúmque ſomniis, apud Herodotũ, ceteróſque ſcriptores hiſtoriarum, expoſitis, loqui: de quibus omnibus, ſi rectè rem æſtimare velimus, certiſsime colligetur; obſeruationem viſorum nocturnorum aliquam non licitam modò, ſed etiam neceſſariam eſſe. Quod autem inter-

pre-

pretationem horum adtinet, neceſſe eſt fateamur, in hac quarumdam nationum ſupra mortales ceteros induſtriam, ſollertiámque, & acumen omnino maius fuiſſe. Id quum ab hoc noſtro Apomaſare non ignoraretur, trium potiſsimè gentium diſciplinam in explicandis hiſce ſequutus eſt, Perſarum, Ægyptiorum & Indorum; licet Arabum quoque mentionē nonnumquam faciat. Perſarum quæ ſapientia fuerit, cuius erant quaſi cuſtodes, quos ipſi magos adpellabant, ex Herodoto patet: de cuius narrationibus licet cognoſcere conſultos à regibus & alijs fuiſſe magos, ſi quando ſomnia ſemet obtuliſſent, quæ alicuius eſſe momenti viderentur. & dexteritatem horum in explicãdo magnam fuiſſe, res ipſæ probarunt. De Indorum philoſophia, qui Gymnoſophiſtæ dicebantur, apud Plu

tarchum in Alexandri Macedonum regis vita, pleraque memoria prodita legimus. Ægyptiorum denique diſciplinæ, quum aliæ; tum etiam hæc, quæ ſomniorum interpretationes cõplectitur, ne ſacrarum quidem litterarũ teſtimonia deſiderant. nobis omnia recenſere non lubet, quum pleraque vulgò quoque notiſsima ſint. Itaque non abs re colligendá ſibi putauit horum iudicia noſter Apomaſar, quæ quidẽ in multis propè diuinum aliquid habẽt. Quis ipſe fuerit, certò nõ conſtat. Exiſtimabat ornamentum illud Germaniæ noſtræ, Ioachimus Camerarius, Apomaſarem eumdem eſſe, qui Albumaſar vſurpatur. ſed pace tanti viri dixerim, nullo id pacto veriſimile videri. Nam Albumaſar cognomentum erat eius qui vero nomine Iaphar adpellabatur, vt in eius vita perſcriptum legimus.

De-

*Deinde conſtat Albumaſarem fuiſſe
Arabem, & religionem Saracenicam
ſequutum. At noſter hic Apoma-
ſar, ſi Græcus non fuit, Arabs tamen,
& Saracenus haberi nullo modo po-
teſt; quum apertiſsima Chriſtianæ re-
ligionis indicia liber ipſe contineat. V-
tinam quidem illum integrum exhibe-
re potuiſſemus, nā in libri veteris prin-
cipio, quem Sambucus habet, foliū v-
num deeſt, & præterea duo periere fo-
lia; quæ pro ſingulari ſtudio ſuo, quo vir
præſtantiſsimus in omni litterarum ge-
nere prodeſſe rei litterariæ nititur, iā-
dudum vt ſuppleret, operam dedit;
ſed irrito conatu. quamobrem boni
conſulendum, quod ſuperat, cenſeo. nec
eſt, quod dubitem, horum publicationē
viris bonis & eruditis gratam fore;
quum Apomaſaris cōmentatio longo
poſt ſe interuallo libros Artemidori,*

qui

qui eiuſdem ſunt argumenti, relinquat. Accuratè iudiciorum ſiue interpretationum diſcrimina conſtituit in perſonis regum, magnatum, plebeiorum, diuitum, pauperum; reginarum, mediocrium feminarum, nuptarum, innuptarum; item ſenum, virorum, infantũ. monet anni quoque diuerſa tempora cõſideranda, quaſiq́ue momenta horarum, quibus ipſa ſe viſa offerunt, examinanda. Quædam non negò videri poſſe ſuperſtitioſa. ſed ſunt eadem mediocriter tolerabilia. Paganorum extrariorumque ſcripta legimus, plena ſuperſtitionibus ethnicis; & his paucis quaſi næuis non cõtemnendi corporis haud ignoſcemus? Quotiens vxores numero multitudinis dicit, (nã & hoc fortaſſe quiſpiam repræhenderit) Ægyptiorũ veterũ Perſarúmque verba retinet. idẽ exiſtimandum de ijs, quæ concubinarũ men-

mentionem continent. Hanc aũt Apomaſaris editionem, magnifice domine, tuum præferre nomen certas ob cauſſas volui. Nam quum in iſta peregrinatione mea, qua regiones haſce videre lubuit, ex Sambuci noſtri, qui te maximi facit, aliorúmque ſermonibus, multa de ſingulari tua virtute, ſapientia, rerum vſu, humanitate, in litteras ac litteratos propenſione, accepiſſem: rectè me facturum exiſtimaui, ſi natam in hac regione lucubratiunculã, tibi, qui præclarum eiuſdem lumen es, inſcriberem. Accedebat & priſtini mei conſilij recordatio. nam dudum ipſe mecum conſtitui, meos in litteris labores non ignaris omnis doctrinæ proceribus, quod vulgò fieri videmus, ſed eruditis & recto iudicio præditis offerre. quod inſtitutum ſequenti, non occurrebat in hoc quidẽ tempore, quem in hiſce locis magnifi-

qui eiuſdem ſunt argumenti, relinquat. Accuratè iudiciorum ſiue interpretationum diſcrimina conſtituit in perſonis regum, magnatum, plebeiorum, diuitum, pauperum; reginarum, mediocrium feminarum, nuptarum, innuptarum; item ſenum, virorum, infantũ. monet anni quoque diuerſa tempora cõſideranda, quaſique momenta horarum, quibus ipſa ſe viſa offerunt, examinanda. Quædam non negò videri poſſe ſuperſtitioſa. ſed ſunt eadem mediocriter tolerabilia. Paganorum extrariorumque ſcripta legimus, plena ſuperſtitionibus ethnicis; & his paucis quaſi næuis non cõtemnendi corporis haud ignoſcemus? Quotiens vxores numero multitudinis dicit, (nã & hoc fortaſſe quiſpiam reprehenderit) Ægyptiorũ veterũ Perſarúmque verba retinet. idẽ exiſtimandum de ijs, quæ concubinarũ men-

mentionem continent. Hanc aũt Apomaſaris editionem, magnifice domine, tuum præferre nomen certas ob cauſſas volui. Nam quum in iſta peregrinatione mea, qua regiones haſce videre lubuit, ex Sambuci noſtri, qui te maximi facit, aliorúmque ſermonibus, multa de ſingulari tua virtute, ſapientia, rerum vſu, humanitate, in litteras ac litteratos propenſione, accepiſſem: rectè me facturum exiſtimaui, ſi natam in hac regione lucubratiunculã, tibi, qui præclarum eiuſdem lumen es, inſcriberem. Accedebat & priſtini mei conſilij recordatio. nam dudum ipſe mecum conſtitui, meos in litteris labores non ignaris omnis doctrinæ proceribus, quod vulgò fieri videmus, ſed eruditis & recto iudicio præditis offerre. quod inſtitutum ſequenti, non occurrebat in hoc quidẽ tempore, quem in hiſce locis magnifi-

gnificentiæ tuæ præferrem. Nam & cognitione doctrinæ varia atq; exquiſita ſuperas alios, & plura tuis in peregrinationibus vidiſti, quam in hiſce regionibus quiſquam tui ſimilium. Immò Perſas ipſos, & Ægyptios, & Arabes, & Indos adiſti; quæque ſunt in locis illis remotiſſimis eximia, tuiſmet oculis ipſe perluſtraſti. Quapropter cui potius, vt idoneo iudici, commentationem hanc exhiberem, quàm tibi, reperire potui neminem. Te quidem, quod ſupereſt, maiorem in modũ oro, vir generoſe, meũ vt hoc compellandi te conſiliũ, benignè pro illa tua excellẽti virtute bonitateque interpreteris; & Apomaſarem ipſum, cum interprete, qui tuæ ſe clientelæ dedunt, comiter excipias.

APOMASARIS APOTELESMATA, ſiue DE SIGNIFICATIS *& euentis inſomniorum liber.*

* * *

nam & ipſe magno deos amore proſequebatur, qui omnia ſingulatim ei euentura, viſis nocturnis prius indicabant. atque hæc ſemper ego ſubtiliter diſſoluebam, ac veritatem ex me ipſe præcognoſcebam, & inueniebam. quapropter ea nunc expono, de quibus tum ipſe experiundo cognoui, tum illi priſci Pharaonitæ, aliiq; diſciplinis eorum eruditi: & quidem omnia, quæcunque mortalibus offerri per viſa poſſunt, expoſita interpretabor.

Periit in vetuſto libro folium primũ, quo caput I. II, III, & pars IIII, continebātur.

MORTVORVM RESVRrectionis interpretatio, ex Indorum diſciplina. V.

SI quis in ſomnis videre viſus fuerit, mortuos reſuſcitatos: quo in loco vi-

ſum hoc mortuorum reſurrectionis oblatum dormiēti fuerit, eo in loco pœnas iniuſti dabunt: & iniurias paſſi, ius ſuum celeriter obtinebunt. Nam in reſurrectione iudex iuſtus eſt ſolus Deus. ideóque iudiciū hoc, quoad humanitus fieri poteſt, eandem cum illo vim habet.

DE RESVRRECTIONE *mortuorum conſimiliter, ex Aegyptiorum diſciplina.*

VI. SI quis in ſomnis ſuſcitationem mortuorum videre viſus fuerit, ea res vinctorum liberationem, ac bellorum finē ſignificat. Præterea propinqui hominū in ijs locis degentium, ſi peregrè abſint, breui conſpiciētur: & à Pharaone dignitates, ac larga munera conſequentur. Mulieres etiam illorum locorum, citra periculum parient: & ſi morbus ibidem eſt, ceſſabit.

DE RESVRRECTIONE *mortuorum, ex diſciplina Perſarum.*

VII. SI quis in ſomnis ſuſcitationē mortuorum videre viſus fuerit, quo in loco viſum

viſum offertur, ibidem ex vinculis liberatio, & ex calamitatibus ereptio ſequetur. Erit & profectum à rege gaudium. Si annonæ penuria ſit, cum fertilitate commutabitur.

DE PARADISO, EX INdorum diſciplina. VIII.

SI quis vir bonus viſus ſibi fuerit ingredi paradiſum, ſaluus erit: quia lætum nuntium diuinitus ob ea, quæ rectè fecit, accipit. Sin maleficus eſt, reſipiſcet ac ſalutem conſequetur.

In opibus quoq; mundanis adſequendis felicitatem hoc viſum denotat.

Si viſus ſibi fuerit comediſſe de fructibus arborum paradiſi: ſapientiam & cognitionem in fide ſua conſequetur: quia paradiſi fructus, diuinæ bonæq; doctrinæ ſunt.

Si viſus ſibi fuerit, alij de fructibus iſtis impertiri: doctor euadet, prout diſtribuerit ac impertiuerit.

Si fructus illos accepiſſe viſus ſibi fuerit, at non comediſſe, nec impertiuiſſe alteri: diuinas quidē ille res adſequitur,

at non agnoſcit. ideoq; fructum abſolutum non fert.

Si non comedit, alteri tamen impertijt: ipſe quidem, ceu vanæ cupidus gloriç, damnabitur: at alter ille, qui fructum ſcilicet accepit, ſalutem adipiſcetur.

Si quis viſus ſibi fuerit ingredi paradiſum, ac mori: ea mors fidei detrimētum denotat.

DE IGNE GEHENNÆ, ex Indorum diſciplina.

IX. *ex Indorum diſciplina.*

SI quis videre viſus ſit, ſe ad ignem Gehennę damnatum: interitui mancipabitur, quod vti ſceleratiſſimus homo ſuũ ipſe videat exitiũ. Sed tamen hoc ipſum ei diuinitus indicatur, vt reſipiſcens animæ ſuæ ſaluti conſulat.

Si ignem Gehennæ duntaxat adſpexit, non tamen ad eũ damnatus: in mundanas ærumnas incidet. Quantò autem vel propiori, vel longiori ex interuallo, ignem Gehennæ viderit: tantò vel propiorem, vel remotiorem ærumnam expectet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, iudicia ſua peruertet, ac diuinitus punietur.

Si ob-

Si oblatum mulieri fuerit, marito inſidiabitur, adulterijs ſeſe, ſtuprisq; polluens.

Si puero fuerit oblatum, ad perſonam parentum eius referendum erit.

DE ANGELIS, EX INdorum diſciplina. x.

SI quis in ſomnis aliquẽ ex diuinis iſtis angelis videre videatur, qui ſacris in libris nominantur ac deſcribuntur: ex læto aliquo nuntio gaudium reperiet.

Nam ſi eo loci bellum imminet, velox & ingens aduerſus hoſtes victoria ſequetur.

Si qua eſt adflictio, cum lætitia commutabitur.

Si morbus, ad integram valetudinem fiet reuerſio.

Si paupertas, in opulentiam commutabitur.

Si mulieri prægnanti viſum hoc oblatum fuerit, marem pariet.

Si regi fuerit oblatum, ac præterea, quòd cum angelo ſit colloquutus: quidquid hoc fuerit, ſiue bonum, ſiue malũ, immutabiliter eueniet.

Si videre duntaxat angelum viſus ſit imperator, nec colloquutus cum eo fuerit: aduerſus hoſtes victoria ſignificatur, eiusq; populus incrementum ſumet, ac pauperes ipſius ſatiabuntur.

Similiter ſi quis angelum viderit, pro nomine diuino decertaturus: is ſe ſaluũ eſſe ſciat.

Sin quis angelum videre viſus fuerit carẽtem nomine, nec ſacris in literis deſcriptum: gaudio læticiaq; paulò minore potietur.

Si quis eunuchũ videre videatur ignotum, formoſum, procerum: etiam is pro angelo habeatur, propter puritatem, & ſimilitudinem cum angelis, quodq; libidinis carnalis minimè capax ſit. adeoq; ſimilis erit euentus ei, qui viſum angeli comitatur. Quidquid etiam læti denunciauerit, maturum habebit exitum.

Itidem ſi quis aliquem eunuchorum ſibi cognitorum, & magnatum, & dignitatibus ſpectabilium videre viſus fuerit: ſimilem res euentum ſortietur ei, quem in angelis ſtatuimus.

DE PROPHETIS, APOSTOLIS, *& doctoribus, ex Indorum diſciplina.* XI.

SI quis in ſomnis Prophetam, vel Apoſtolum, vel Doctorem, vel Martyrem videre viſus fuerit: etiam illi vim eãdem habebunt, quàm de angelis diximus. Rerum tamen exitus erit aliquanto exilior. quippe viſum angelorum homo delictis obnoxius, aut malus, haud impetrat: Prophetę verò, cum illis alijs, etiam vulgò dormientibus offeruntur.

Si quis in ſomnis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum viderit, eumq; Chriſtũ eſſe ſciuerit: is & animæ ſalutem inueniet, & opes mundanas, & maximam victoriam. Quod ſi etiam cum eo colloquutus fuerit, quid ex eo audiuerit, citra dubitationem teneat. Quin & beatus eſt, huiuſmodi qui viſo potitur.

Si quis Chriſtum in domo quadam ignota videre viſus fuerit, & ipſe cui viſum hoc offertur, ſi domum ingreſſus fuerit, at nõ viciſſim exierit: moriturum ſe quidem breui ſciat, ſed ſalutem nihilo minus conſequuturum. Quin & hære-

des ipſius ingenti dignitatum opumque copia ſatiabuntur.

Quòd ſi etiam aliquis vel Apoſtolum quẽdam, vel Patriarcham viderit, Chriſtum ſe videre putans: cõſimilis erit exitus rei, ſed exilior & inferior priore.

Si quis viſus ſibi fuerit in ſomnis per ſuffragia collocatus in ſolio ceu Patriarcha, nationi ſuæ cum imperio præerit.

Sin electus Presbyter viſus ſibi fuerit, excelſus & dignitatibus cõſpicuus erit, & imperatoris populum cum poteſtate reget. itidem iuſtus erit.

Si Diaconus factus fuerit, inferiori honore potietur, pro ratione diſcriminis, quod horum eſt, inter ſe comparatorum.

Si mulieri tale viſum oblatum fuerit, à marito ſuo cum infamia diuertit.

Si quis in ſomnis librum aliquem Apoſtolorum, vel Doctorum, vel Prophetarum, audiente populo, legerit: inter perſonas magnatum imperatoria quadam cum dignitate referetur, & iuſtè ſe geret, & laudem promerebitur.

Si tale viſum imperatori fuerit oblatum,

tum, peramabilis populo ſuo fiet, ac iudex iuſtus erit.

Si liber ille fuerit Euangelium, quem aliquis videre viſus fuerit: excelſam dignitatem poteſtatemq́ue conſequetur, propterea, quod in ſomnis id fecerit, cuius peragendi poteſtatem laici non habent.

DE FIDE, VARIIS MOdis ex diſciplina Indorum expoſita quædam. XII.

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit, quũ profeſſione Chriſtianus eſſet, hebraiſaſſe: minimè perfectus eſt in religione, ſed incredulus, & blaſphemus: adeoq́ue præceps in interitum ruet.

Si viſum hoc imperatori ſe offerat, nouam in populo ſuo ſectam excitabit.

Si homini plebeio, ſua ſponte falſum teſtimonium perhibebit.

Si mulieri, marito ſuo ſtruet inſidias.

Si ſeruo, aduerſus herum ſuum conſultabit.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit à Chriſtiana fide ad Agarenos defeciſſe: conſimilis ſequetur euẽtus ijs, quæ dicta ſunt.

Si quis viſus ſibi fuerit magus factus, opum & pecunię cupidus euadet. quippe magi ſe rebus mundanis oblectant, nequaquam de compenſatione, quæ in altera vita fiet, ſolliciti.

Si quis viſus ſibi fuerit adorare idolũ, vel cum eo colloqui, vel luctari, vel verberare, vel ab eo verberari: ſi adorauit, erga Deum mendax erit, propter ipſius idoli mendacium: qui verò colloquutus eſt, aut luctatus, aut percuſſit, aut vice verſa percuſſus eſt: in ærumnam grauẽ incidet, quæ quidem ex mendacio proueniet.

Si quis in ſomnis ſimulacrum ligneum adorauerit, opera magnatis alicuius indigebit, hominis improbi: apud quem preces eius locum non inuenient.

Si factum è ſtipite ſimulacrum adora uerit, hæreſiarcha fiet, qui de verbis rixabitur, & mendax erit.

Si argenteum ſimulacrum adorauerit, periurus & mendax erga coniugem erit.

Si aureum fuerit ſimulacrum, audaciſſimus erit, & ab imperatore adfligetur

tur atque punietur: plurimis eum malis vndique cingentibus.

Si viſum hoc oblatum imperatori fuerit, ab aduerſarijs adfligetur. Vt enim argentum ad mulieres refertur in ſomniorum interpretationibus, ſic aurum ad viros. Idem aurum quantam extra ſomnũ læticiam homini ſuppeditat, tantundem ærumnarũ adfert ei, qui in ſomnis ipſum viderit.

Si fuerit ſimulacrum æreum, vel ferreum, vel plumbeum: is, qui viderit, falſò diues erit. Hæc enim omnia mundi vaſa ſunt.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit ignẽ adoraſſe: dignitatẽ poteſtatémue quærit, propter vim ignis.

Si quis adorauerit carbones, aut ignẽ flamma, fumo, fuligine carẽtem: aurum per iniuriam quæſitum poſſidebit, pro quantitatis ratione, qua ignis oblatus erat: & fidem ſuam amittet.

Si quis ſe videre viſus fuerit ordinem Presbyteri nactum, preces pro populo fundere: principatum populi conſequetur, & oẽs erga ſe beneficos experietur.

Idem

Idem ſi viſus ſibi fuerit librum populo legere, ſapiens ac doctus erit.

Si viſum illud oblatũ imperatori fuerit, & tropæa ſtatuet, & ſapiens erit.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit teſſeram aliquibus dare, in virum maximum euadet, ac inſigni voce præditus, populos arbitratu ſuo colliget.

Si fuerit oblatum hoc imperatori, magnates ſuos ad cõſultationes bonas conuocabit: eritq; lõgæuus, & læticia copioſa fruetur, propter eam voluptatem atq; gaudiũ, quod de teſſera data percipitur.

Sin ipſe quidem non dederit, alterum verò dantem audierit: eadem eſt inſomnij & interpretatio, & ſolutio.

Si pauper eſt, qui hoc in ſomnis vidit: magnatibus inſeruiet, ac plurimum proficiet.

Si muliercula videre viſa ſit, vniuerſo populo ſpectaculũ turpitudinis erit.

Si quis viſus ſibi fuerit Eccleſiam ſtruxiſſe, ſi quidem imperator eſt, mulierem ornabit & extollet denuò, pro ratione magnitudinis Eccleſiæ: ſin plebeius, diuitias à muliere locuplete conſequetur.

Sin

Sin mulier eſt, innupta maritũ accipiet: nupta, vidua fiet, & alteri nubet.

EIVSDEM GENERIS, *ex Perſarum diſciplina.*

XIII.

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit adorare ſimulacra, quibus indita ſint maximorum ſiderũ nomina, vel ipſius Solis ſimulacrum: imperatori preces offeret, & exauditus tam propè ad imperatorem admittetur, quàm propè Solis à ſimulacro in ſomnis abfuit.

Si viſum hoc oblatum fuerit imperatori, amicitiam cum alio rege cõtrahet, & amorem eius impetrabit.

Si lunę ſimulacrum fuerit, homini ſecundum regem primo preces offeret, & exauditus accedet ad eum tanto ex interuallo, quanto in ſomnis à lunari ſimulacro abfuit.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit adorare Veneris ſimulacrum, apud hominem Auguſtæ primũ gloriam inueniet. Itidẽ cæteris de ſyderibus, & imperatoris magnatibus, eadẽ eſt interpretatio.

Si quis ſibi videatur adorare ignem illum in templis inextinctum, aut quod fumus

fumus quaſi quidam fœtidus ex igne ſit ortus: ſi rex eſt, ab hoſtibus ei bellum inferetur, & in fugam conijcietur. Sin fumus ille fragrans fuerit, celebri aduerſus hoſtes victoria potietur.

Si plebeius hoc videre viſus fuerit, regi ſeruiet, ac eueniet ei pro fœtoris ratione.

Si mulier fuerit, pro ratione odoris ei quid erga maritum accidet.

Si quis ſibi templum ſtruxiſſe viſus ſit, & in eo poſuiſſe ignem, quem populus adoraret: ſi quidem imperator eſt, in conſilio ſuo regem creabit, quem populus accipiet.

Si viſus ſibi fuerit imperator murum nouum ſtruxiſſe, vel intra, vel extra murum vrbis ſuæ: ſimiliter regem cōſtituet, ac populus eum, vnà cum regni conſorte, recipiet: ſi quidem murus antiquus non dirutus fuerit. hoc verò ſi fiat, in regno ipſius mutatio quædam ſequetur.

Si plebeius, aut procerum quiſpiam, hoc ſibi viſus fuerit abſque mandato regis facere: perduellis fiet, ac ſi quidem ſtructuram abſoluerit, victor euadet: ſin autem,

autem, ſuperabitur ac delebitur à rege.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, apud Auguſtam ei, pro ipſius rei ratione, quiddam eueniet.

DE FIDE CONSIMILITER, *ex Aegyptiorum doctrina.* XIIII.

SI quis in ſomnis ſibi videatur adorare deos, vel ſimulacra, vel animalia, vel arbores: gratiam Pharaonis & magnatũ ipſius inueniet, pro ratione nobilitatis ſimulacrorum, animalium, arborum.

Si quis ſolium Pharaonis adorauerit eo modo, quo principes ipſius conſueuere: princeps fiet, par Pharaonis principibus.

Si virgam Pharaonis adorauerit, aut geſtauerit, aut in eius curru ſederit: primus ei à conſilijs erit.

Si viſus ſibi fuerit inſediſſe Pharaonis equo, vel ſellę equeſtri: ſiquidem voluntate Pharaonis hoc fecerit, mulierem ſuam ei dabit: ſin præter eius volũtatem, puellam ipſius inibit, ac depræhẽdetur.

Si quis cum Pharaone cubare viſus ſibi fuerit, inſtar vxoris erit Pharaoni, & arcanorum ipſius in primis conſcius.

XV. DE IVDICIBVS, EX *Indorum diſciplina.*

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit iudex populi factus, nec ad iudicandum idoneus fuiſſe: ſiquidem expeditionem ſuſcipit, admodum miſerabilis factus, ad egeſtatem redigetur.

Si regi oblatum hoc viſum fuerit, aduerſus hoſtes ſuos triumphator euadet, ſeq́; aduerſus eos ſtrenuè geret.

Si quis iudicis officio fungẽs, ſibi pręter morem iudicium aliquod exercuiſſe viſus ſit: maiorem ſapientiam & cognitionem adquiret.

Si quis ab ignoto iudice iudicari viſus ſibi fuerit, iudicium hoc omne pro certo teneat. Nam ad Dei perſonam iudex ille refertur.

Si quis in ſomnis alterum prius ſomnium alicui videatur enarrare, quidquid audierit, teneat.

Si quis in ſomnis ſtateram, vel campanum, quod vocãt, loco quodam librari viderit: ea de perſona iudicis intelligat. Quod ſi litem habet, ac inter librandum ea viderit exæquari, ius ſuum obtinebit: ſin

ſin autem, nō obtinebit. Etenim ſtateræ lances, ad iudicis aures referuntur. Quæ autem in ipſis ſunt lancibus ſpecies, partium aduerſariarum rationes ſignificāt.

Si ſtateram æquam puramque videre videatur, iudicem loci iuſtū eſſe cognoſcat: ſin peruerſas fractáſue lances viderit, eius loci iudicem, quò loco ſomniū vidit, iniuſtum cogitet.

Si fractum temonem ſtateræ viderit, de quo lances dependent, ſciat loci iudicem vel in periculo conſtitutum, vel moriturum.

Itidem ſtatuendum de eo, quod campanum vocamus.

Modij quoque, cum menſuris, eandem proportione interpretationem habent, ſed inferiorum iudicum perſonis accommodantur.

DE IVDICIBVS ET *iudicio, ex doctrina Perſarum.* XVI.

SI quis in ſomnis ſe more iudicis ſedentem videre viſus fuerit, & homines ipſius oblectatos iudicatione: ſenator regius fiet, ac diligetur.

Si viſus ſibi fuerit in iudicis conſediſſe

ſolio, ſed iudicium non exercuiſſe: de gloria ſollicitè contendit, & gloriam à rege conſequetur.

Si quis in iudicio litem ſibi contingere per quietem viderit, ęrumnas ac ſollicitudines inueniet. at verò ſi aduerſariū ab ſe ſuperatum videre viſus fuerit, tam ærumna, quam ſollicitudine liberatur. Sin ipſe viſus ſibi fuerit ſuperatus, de re quadam ſollicitus eſt, quę parum ei proſperè ſuccedet.

Si pugnaſſe ſibi viſus fuerit, & iudicem gladio percuſſiſſe: maximum quēdam, aut magnum ſaltem virum in ſeruitutē rediget, ac in eo lætitia potietur.

Si quis videre viſus fuerit ſe, quum iudex eſſet, è iudicio pulſum: in magnam incidet iniquitatem.

Si ſolium ſuum putruiſſe, vel fractum viderit: periculum ad regis perſonam pertinet.

Si iudex maceriem tribunalis furto ſublatam, aut concrematam, aut ruptam videre viſus ſit, dignitate ſua ſpoliatur.

DE IVDICIBVS, ET

XVII. *iudicio, ab Aegyptijs petita ratio.*

Si

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit iudex fidelis factus: Pharaoni fidelis erit in vniuerſis rebus.

Si viſus ſibi fuerit in iudicijs ſuis populo placuiſſe: populi odiũ promerebitur.

Si viſus ſibi fuerit in iudicijs ſuis neruis cædere, accipit à Pharaone poteſtatem militiæ, exiſtimationis, dignitatum.

Si viſus ſibi fuerit iudex principũ Pharaonis factus, maximam ad gloriam perueniet.

Si per quietem viſus ſibi fuerit eſſe iudex, & diem obijſſe: longa quidem vita fruetur, ſed fidem ſuam perdet.

Si morbo cœliaco laborare viſus ſibi fuerit, in periculũ & paupertatẽ incidet.

Si febrili morbo teneri, ex iniuria fiet opulentus.

Si videre viſus fuerit manus ſibi lõgiores factas, ſerui eius potentiam gloriamque conſequuntur.

Si ſe canum aliqua parte factum, honorem eo, quem iam adſequutus eſt, maiorem apiſcetur.

Si pedes ſuos longiores factos, grãdæuus longa vita potietur.

DE AVCTIS CRVrium pilis.

XVIII. QVidam conuento Ameto, Sereimi filio, Mammunæ[a] Protoſymbuli ſomniorum interprete: videre viſus ſum, inquit, in ſomnis, crurium meorum pilos ſpiſſiores factos, & auctos: quos equidem forficē tondebam: Ille homini reſpondit: Rationes & opes tuæ creuerũt. tu verò quantum pilorum tuorum abſcidiſti, tantum eas, malè negotia tua gerendo, deminuis. atque ita rem habere, depræhenſum eſt.

a Dignitatis apud Agarenos nomen, quaſi dicas, primi conſilia rij. Meminit Cedrenus.

ALIA AD EVNDEM relata quæſtio.

XIX. QVidam ex Protoſymbuli Mammunæ proceribus in ſomnis vnctum ſe toto corpore videre viſus eſt, & corporis quidem totius pilos excidiſſe: pudendorum verò crines magis auctos. itaque de ſuis quēdam ablegauit, qui ſomnium hoc, vſurpatum pro ſuo, ſomniorum interpreti renuntiaret. at ille: Maximus vir, inquit, hoc ſomnium habuit, non tuum eſt: Veniet autem in periculum, nec de opibus reliquum ei quidquam

erit,

erit, præter ſolas ipſius mulieres. Vti dixerat interpres, ita poſt paucos dies accidit.

DE HOMINIS MEMBRO-*rum ſignificatione, ex Indorum diſciplina.* XX.

SI quis in ſomnis hominem notũ, aut noto ſimilem videre videatur: hoc viſum in homine illo noto ſuum ſortietur euentum.

Si iuuenem ignotum viderit, hoſtis eſt is, quem videre viſus eſt.

Si ſenem vel ignotum, vel notũ: ſenex ille fortuna ſomniantis eſt. ſin autem, contrarium denotatur.

Si totus canus eſt, & corpulentus: felicior etiã is eſt, cui viſum hoc oblatũ fuit.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit iuuenis adhuc permiſtos capillis canos habere cepiſſe: ad honorem euehetur.

Sin iam permiſtos capillis canos habens, magis ſibi canuiſſe viſus ſit: conſimili modo incremẽtum honoris capiet.

Si caput ſuum totum album factum videre videatur, ingẽtes ærumnas herum ipſius oppreſſuras ſciat.

Si barba prorſus incanuerit, in ipſius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
 ſomnian-

ſomniantis perſonam turpitudo cadet.

Si quis videre videatur capillos capitis ſui prolixiores, ſpiſſioreſq; factos: ſi rex eſt, opum, ſubditorum, curruum incrementum experietur, & populo ſuo pergratus erit: ſi plebeius, opes cōſequetur: ſi pauper, adflictionem & indignationē inueniet: ſi mulier, maritus eius diteſcet, ac potens fiet.

Si quis ab aliquo de coma capitis aliquid abſciſſum ſibi videre viſus fuerit, ſi rex eſt, opes eius, & populus, & arma deminuentur: ſi plebeius, ſimilis erit euentus: ſi pauper, ærumna ſuâ liberatur: ſi mulier, à viro ſuo ſeparata diuertit.

XXI. DE SIGNIFICATO PIlorum, *ex Perſarum doctrina.*

SI quis incanuiſſe ſibi viſus fuerit, ſi quidem populi princeps eſt, populus eius debilitabitur: ſi cum poteſtate non eſt, opes ipſius deminuentur.

Si totus canuiſſe viſus ſibi fuerit, in adflictionem magnam, & perpetuam ſollicitudinem incidet.

Si rex capitis ſui capillos elegantes & magnos videre videatur, populus eius

&læ-

& lætitia, & à bello magna ſecuritate fruetur.

Si rex barbam ſuam ſpiſſam viderit, aurum eius multiplicabitur,& opes eius vbique celebrabuntur.

Si viderit à tonſore capillos ſuos ornari, & reſecari: ſi quidem notus eſt tonſor, palàm is regijs ex opibus auferet: ſin ignotus eſt, hoſtes regij opes ipſius regis intercipient.

Si pauper barbam prolixam habere ſibi videatur,æs alienum contrahet.

Si cui excidere menti barba viſa fuerit,ad egeſtatem redigetur,nec ſe diuitijs potiturum amplius ſperet.

DE SIGNIFICATO PIlorum,*ex Aegyptiorum doctrina.* XXII.

SI cui viſi fuerint pili capitis eius elegãtes & magni,ſi de numero principum Pharaonis eſt, gloriam conſequetur: ſi plebeius,magno principi ſeruiet.

Si viſum hoc ipſi Pharaoni fuerit oblatũ,vires aduerſus hoſtes ſuos inueniet.

Si plures ſibi Pharao capillos habere viſus fuerit,plures imperio ſuo prouincias ſubijciet.

Si capillos incanuiſſe viderit, eius theſauri deminuentur,& exhaurientur.

Sin nigriores & aſperiores factos viderit, theſauri eius ampliores euadent.

Si ſe pectentem capillos,nudaſſe viderit:& debilitabitur ipſius populus,& ipſe adfligetur.

Si ſeipſum abſcidiſſe ſibi pilos viderit, pro tonſuræ modo, deminuetur etiam ipſius exercitus.

Si cui plebeio viſa iam indicata ſe obtulerint, pauper fiet.

Si mulieri, maritus eius morbo graui, vel in bello vitam finiet.

Si cui viſa fuerit barba venuſtè prolixior facta,diuitias ampliores adquiret.

Sin longiores facti pili, quàm par erat; in morbum & ærumnam mediocrẽ incidet,quia facilè rurſus ornari poſſunt.

Si cui capilli rariores facti videantur, in adflictionem diuturnam, & paupertatem incidet.

Si viderit enatos ſibi pilos in naribus, & malis,aut fronte: ſemper ab eo, qui cũ poteſtate præeſt,punietur.

Si ſe viderit eos euellentem cum diffi-

culta-

cultate, ærumnam abijcere nititur.

Si eos vngentem ſe viderit, atque hoc facto, pilos ipſos fluxiſſe: ſuis ex ærumnis magno cum detrimento liberatur.

DE VNCTIONE, EX *Indorum doctrina.* XXIII.

SI quis in ſomnis vnxiſſe ſibi caput & capillos oleo fragranti viſus fuerit, ſi rex eſt, vt opulentus euadat, & populum ſuum ornet, totis viribus nititur: eaq; res ei proſperè cedet.

Si plebeius, oſtentator erit, & adpetens gloriæ.

Si mulier, erga maritum ſuum ſemet oſtentando, fraudes nectet.

Si ſeruus, oculis duntaxat ſeruiet.

Si quis ex omnibus indicatis modò, viſus ſibi fuerit oleo perfundi, plebemque vultu conciliare: in caſum aduerſum, morbum, & indignationem incidet.

DE VNCTIONE, EX *Perſarum doctrina.* XXIIII.

SI quis vnxiſſe ſibi caput & capillos oleo viſus fuerit, ornamenti cauſſa: ſi rex eſt, arma pariter & exercitum aduerſus hoſtes expediet.

Si medij ordinis eſt, opes atque ſubſtã-tiam ſuam meliùs conſtituet.

Si pauper eſt, rationes ſuas ornabit, vt victus ei non deſit.

XXV. DE VNCTIONE, EX *Aegyptiorum doctrina.*

SI quis vnxiſſe ſibi caput & capillos oleo viſus fuerit, per oſtẽtationem erga quoſuis quæuis quiſque peraget: maximus, erga maximos: inops, erga ſui ſimiles.

XXVI. DE MOSCHO, ET COM-*poſita fragrantia, ex Indorum diſciplina.*

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit vngere ſeipſum moſcho, vel galæo, vt bene redoleat: ſi rex eſt, felici nuntio populos beabit, qui quidem eum ſic deſiderabunt, vt ipſam fragrantiam, & bonum illum odorem.

Si plebeius eſt, conſimiliter erga proximos optimè ſemper redolebit.

Si quis impertiri vicinis fœtorem quẽdam viſus ſibi fuerit, vniuerſorum odia promerebitur, & tanta quidem, quanta fœtoris ipſius penetratio fuerit.

Si rex ab aliquo moſchum, vel aliam quan-

quãdam rem ex compoſitione plurium fragrantem, in vaſe quopiam accepiſſe viſus ſibi fuerit: lætum nuntium ab alijs accipiet, pro modo quantitatis eorum, quæ in ſomnis accepit.

Si plebeio viſum hoc oblatum fuerit, conſimiliter & ipſe pro modo quantitatis, lucrum & opes inueniet.

DE MOSCHO, ET COMpoſita fragrantia, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina. XXVII.

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit vngere ſeipſum moſcho, vel alia re compoſita fragrantis odoris: triumphis potietur, & apud ſubditos ſuos ſeipſum ſubliniorem efficiet.

Si plebeius fuerit, pro modo vnctionis apud vicinos ſuos excelſior euadet.

DE VASE, QVO SVFFItum facimus, & fumigatione, ex Indorum doctrina. XXVIII.

SI quis alijs ſuffitũ feciſſe viſus ſibi fuerit, eo vaſe, quo facere ſuffitum ſolemus: is ad illos, quibus ſuffitum fecit, & efficacia ſimul, & dulcia verba proferet: efficacia, ratione ignis: dulcia, ratione

fragran-

fragrantiæ. Quin & arcanum ſuum credet eis.

Si ſuffitum in templo duntaxat, abſente populo, feciſſe viſus fuerit: conſimiliter arcanum ſuũ templi præſidibus credet, ac Deum placabit.

CONSIMILITER EX PERſarum & *Aegyptiorum diſciplina, de vaſis ad ſuffitum factis, & fumigatione.*

XXIX. SI quis ſibi viſus fuerit notis hominib' præter morem ſuffitum facere, ſi rex eſt, ad maximos quoſdam mittet, vt arcanum ſuum audiant: ac propter vim fumi, aduerſus hoſtes in conſilijs bella molietur.

Si plebeio viſum hoc oblatum fuerit, lites & rixas contra proximos ſuos excitabit.

Si ſe viderit veſtimẽta ſua, quæ geſtare ſolet, perfumigaſſe: ſeruos ſuos, & ſubditos, ad vtilitatẽ ſuam idoneos reddet.

Si ſe cubilis ſui ſtragula perfumigaſſe viderit, mulierculis ſuis benefaciet.

DE VESTITV ET TONſura, *ex diſciplina Indorum.*

XXX. SI quis viſus ſibi fuerit totõdiſſe caput ſuum,

ſuum, inſtar monachi: reſipiſcet, & ab ærumnis atque delictis liberabitur, fidemq́; ſuam ornabit.

Si rex eſt, regnum ſuum amittet, & in adflictione rebus humanis excedet.

Si mulier maritata, vidua fiet.

Si mulier innupta, nullo contracto matrimonio morietur.

★ ★ ★

ſi pilos amittere nequit, rex quidem nouum exercitum ex hominibus alia lingua vtentibus comparabit, & opes ipſius augeſcent: plebeius autem, & pauper, hoc oblato ſibi viſo, æs alienum & calamitates arceſſet: mulier maritata, concipiet, ac marem pariet.

Periit hic quoque folium vnum.

INTERROGATIO DE *vite arbuſtiua.* XXXVI.

QVidam ex Mammunæ Protoſymbuli proceribus, Sereimum ſomniorum interpretem adijt, ſeq́; vitem arbuſtiuam habere dixit in ædibus, quæ vuas albas ferret. eam ſibi viſam vuas tuliſſe nigras. Cui ſomniorum interpres Sereimus reſpondit, eſſe quandam de

ipſius

ipſius vxoribus ex Æthiope ſeruo prægnantem. Hominis coniecturæ, reſpondit euentus. Nam ex Æthiope nigrum illa puerum peperit.

DE TINCTVRA PILOrum, ex Indorum diſciplina.

XXXVII. SI quis viſus ſibi fuerit tinxiſſe pilos capitis & barbæ, in conatu occultandi canos ſuos, nec tamen illos plenè fuiſſe tinctos: periculum faciet, an vitia ſua turpitudinemq; poſſit occultare: ſed ob tẽtatam fruſtra tincturã, latere nõ poterit.

Si tincturam efficacem fuiſſe viderit, occultationem ſuam perficiet.

Si regi triumphis claro viſum hoc oblatum fuerit, arcani ſui occultationem ſanè quàm prudenter inſtituet. Si nulla tincturæ vis fuerit, ob eam ipſam cauſſam fruſtra ſecretum ſuum occultare conabitur. Sin efficax eſſe tinctura viſa fuerit, deſiderium animi ſui diuina vi quadam, & ſuo cum emolumento perficiet.

Si mulieri fuerit oblatũ, adulterij perpetrandi cauſſa maritum fraude circumueniet, ac pro modo tincturæ dolus ei ſuccedet.

DE TINCTVRA, EX *diſciplina Perſarum & Aegyptiorum.* XXXVIII.

SI quis in ſomnis tinxiſſe pilos ſuos viſus ſibi fuerit, vt eorum colorem mutaret: ſi quidem eſt ex eorum numero, qui cum poteſtate ſunt, ornare per mendacium populum ſuum ſtudebit: ſi plebeiꝰ, fallò & ipſe facultates ſuas ornabit.

Si quis viderit pilos ſuos per tincturam detrimẽto quodam adfectos, opum ſuarum amiſſionem, magnamq; calamitatem experietur.

Si quis viſus ſibi fuerit ſtuduiſſe per tincturam pilos ſuos albos facere, gloriæ cupidus hoc fecit: ſed parum poterit, & opes ipſius deminuentur.

Si quis videre viſus fuerit, ornatus cauſſa faciem ſibi nouacula tonderi: alia quidem extrinſecus bona monſtrabit hominibus, ſed in abdito mali ſucceſſus erũt.

DE MANDVCATIONE *capitis, ex Indorum doctrina.* XXXIX.

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit comedere cerebrum è capite noti hominis, hęres ipſius erit, & opibus ipſius, omniq; auro potietur: ſin ignoti, citra labo-

rem & opes, & auri vim maximam à magnate quodam conſequetur.

Si caput ouillum coctum edere viſus ſibi fuerit, opibus hominis in magna dignitate poſiti, & lucro potietur: non ſine labore tamen.

Si caput ouillum, aſſatum: hoſtem ſuũ oppugnabit, vt opes ipſius diripiat: ac ſuperior eo quidem euadet, verùm ob aſſationem ab igne factam, cum ærumna diuitijs eius fruetur.

EIVSDEM GENERIS, EX
Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.

XL. SI quis in ſomnis ouillum caput edere viſus ſibi fuerit, ingens gaudium & diuitias conſequetur.

Si hominis caput ediſſe viſus ſibi fuerit, capiti ſuo ſuperiori fraudes ſtruet, ac maleficium patrabit. fortaſſis in ipſius etiam ſolio ſuccedet.

Si quis in ſomnis videre viſus ſit adlata ſibi ab aliquo capita vel pecudum, vel hircorum, vel ceruorũm, vel aliorum cornutorum animalium: magnum imperium ſuſcipiet, capitaque principum captiua congregabit, pro modo factæ in ſomnis

ſomnis adductionis. Fieri verò nequit, vt hoc alicui viſum offeratur, prҿter Pharaonem, eiusq; ſucceſſorem.

Si pauper aut plebeius in ſomnis vel emiſſe, vel inueniſſe caput, viſus ſibi fuerit: aurum inueniet, X puta ſolidos, aut C, aut CIↃ.

DE PILIS BARBÆ, ALArum, & pubis, ex Indorum diſciplina. XLI.

BARBÆ pili ſunt ornamentum oris. Os ipſum pro hominis domo interpretari ſolemus, qua eius domeſtici continentur. quippe dentes ſunt perſonæ domeſticæ.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit barbҿ crines vel per tonſuram ornare, vel vngendo, vel pectendo: ſuҿ domus faciem ornabit, vt hominibus opulentior atque ſpecioſior adpareat.

Si viderit pilos alarum ſuarum auctos, vel prolixiores factos: filiarum ſuarum opes conſpiciet. Si nullæ filiæ ſint, referatur ad puellas ei cognatas.

Sin pilos iſtos exaruiſſe vel defluxiſſe viderit, contraria filiabus aut cognatis eius euenient.

Si quis in ſomnis prolixiores ſpiſſioréſque factos pubis ſuæ pilos videre ſibi viſus fuerit, grauiter & immiſericorditer à loci principe punietur, pro eo quidem modo, quo & ipſi facti videntur prolixiores.

Si crines eoſdem effluxiſſe viderit, formidare potentem illum deſinet.

Si viſum hoc regi fuerit oblatum, de hiſce pilis auctis: ab aduerſaria natione bello petetur, & adfligetur.

Sin idem rex defluxiſſe ſibi pilos viderit, aduerſus hoſtes victoriam, læticiámque ſperet.

Si mulier hoc videre viſa ſit, ſi quidem aucti fuerunt, maritus eius adfligetur & punietur: ſin defluxerunt, ex matrimonio læticiam reperiet. Quod ſi adhuc innupta eſt, virginitatem amittet.

DE PILIS BARBÆ, ALArum, & pubis, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.

XLII.

QVANTVM in ſomnis barbæ pili augeſcunt, ſi cum poteſtate ſit, cui ſomnium offertur: tantundem populus eius domeſticus incrementi ſumet: ſin ple-

plebeius, opes & prædia conſequetur.

Si quis videre viſus ſit, auctos adeò ſibi crines alarum, vt vſque ad coſtas eius ſeſe porrigant: opes à patruo & auunculo, vel ab amita & matertera; vel à fratre, vel ſorore, vel ſimilibus horum cognatis nanciſcetur, & eas vxori ſuæ dabit.

Si videre viſus ſit alas ſudãtes, in ſeipſo calamitates experietur.

Si quis videre viſus ſit pubis crines auctos, pro ipſorum crinium multitudine, plures etiam habebit hoſtes; & iniuriarum auctores.

Sin eos defluxiſſe, vel nudatos viderit: ex hoſtium ſuorum ruina læticiã capiet.

DE PILIS CORPORIS, *ex Indorum diſciplina.* XLIIII.

RELIQVI pili corporis, aurum & opes omnibus hominib⁹ portendũt.

Si quis viſus ſibi fuerit ſpiſſiores nanctus crines, & totus ijs indutus: & opes conſequetur, & incrementum ſumet.

Sin pilos corporis amiſſos, ſeque nudum à pilis manſiſſe viderit: ſi rex eſt, theſauri & aurum eius deminuentur.

Si cui viſum hoc oblatum fuerit, homini

mini ærumnoſo, vel in vincula cõiecto, vel ęgrotanti, vel ęre alieno grauato, vel alia ſimili calamitate: malis iſtis liberabitur, & viciſſim læticia fruetur.

Si plebeio, pauper fiet.

Conſimiliter ſi quis vnxiſſe totum corpus ſibi viſus ſit, ac pilos fluxiſſe, ſeq; nudum ab eis manſiſſe: ſi diues eſt, diuitias ſuas amittet: ſi pauper, diuitias reperiet: ſi mulier, arte quadam apud maritum in gratia ſe ponet.

Si quis vnxiſſe ſibi viſus ſit, nec tamen fluxiſſe pilos: ſi diues eſt, indignationem ac periculum incurret, ſed liberabitur.

Si quis ægrotus hoc viderit, cum morbo diuturno conflictabitur.

Si quis afflictus, aut in cuſtodia detentus, aut æris alieni mole grauatus, aut alia re ſimili: eius ita comparatæ res erunt, ac ſi iam cernat liberationem ſuam, non tamen liberabitur.

DE PILIS RELIQVI CORporis, *Perſarum & Aegyptiorum conſentiens iuterpretatio.*

XLIIII.

PILI corporis, omnium quædam velut armatura ſunt, etiam brutorum anima-

animalium. Si quis ergo pilos corporis ſui deminutos videre videatur, detrimẽtum quiſque capiet, pro ratione ſtudij facultatumq; ſuarum.

Similiter ſi corpus vnxiſſe ſibi videatur, eoq; modo pilos radicitus euulſiſſe: ſponte ſuas opes deminuet.

Si quis vnxiſſe corpus hoc modo ſibi videatur, qui locuples eſt, agrorumque fructus expectat: malè prædia cum fructibus adminiſtrabit, & perdet.

DE SOMNIO PROTOSYMBULI. XLV.

toſymbuli.

MAMMVNAS ille Protoſymbulus ſomnium habuit, quo ſibi viſus eſt eſſe in templo maximo, nimirum in [a] Micca, ſiue in Abrahami tabernaculo: quũque ſuperiorem in partem abijſſet, vbi ſolium eſt, iuxta duos angulos, in eis minxit, * * * correptusq; formidine, velut in peccato maximo: clam ad ſomniorum interpretem Sereimum miſit, qui pro ſuo ſomnium hoc vſurparet, idq; declarari à Sereimo peteret. At ille coarguens hominem: Non hoc, ait, oblatum eſt tibi ſomnium, quippe non ortus

[a] *Vulgo Mecham vocãt.*

es de Protoſymbuli ſemine. Propterea nullam ex me interpretationem habebis. Ibi tum hominem coram conuentum hortatus eſt Protoſymbulus, interpoſito quoque iureiurando, ne ſomnij ſolutionem occultaret. At ille: Quatuor, inquit, anguli templi, quibus in angulis vrinam reddidiſti: quatuor liberos portendunt. Duo partis illius ſuperioris, vbi thronus eſt, throni & imperij ſucceſſores erunt: duo partis inferioris, procreabuntur illi quidem ex te, verùm imperio ſolij tui non potientur.

XLVI. DE VRINIS, EX INdorum diſciplina.

SI quis in ſomnis ſibi videatur repletus vrinam excreuiſſe, ſi qua hominem adflictio vel indignatio premit, ea liberabitur: ſin opulentus eſt, qui ſomnium habuit, aliquid opibus ſuis detrahet ad impēſas & erogationes in ſcorta, pro ipſius vrinæ copia.

Siquis ſibi viſus ſit in vas quoddam vitreum minxiſſe, ſi rex eſt, mulierem infamem de ſemine ſuo prægnantem reddet, ac neque fœtus vteri, nec ipſa finem opta-

optatum adſequetur, propter imbecillitatem vitri.

Si plebeius eſt, liberos ex coniuge ſua procreabit.

Si quis ſibi viſus ſit in vas aureum minxiſſe, difficulter mingendi morbo laborabit.

Si verò in vas lapideum defoſſum, opes ſuas in terra defodiet.

Si in vas argenteũ, rex quidem, aut procèrum aliquis, cum ancillarum venuſtiſſima rem habebit: plebeius, ſua cum vxore ſemet oblectabit; pauper, opulentæ mulieris vel amorem, vel matrimonium promerebitur.

DE VRINIS, PERSARVM *& Aegyptiorum conſentiens interpretatio.* XLVII.

QVÆCVNQVE in aluo concluduntur, opes portendunt: & ex ea quæcunque reijciuntur, opum amiſſionem denotant.

Si quis minxiſſe ſibi viſus ſit, ad libidines ſuas pecuniam erogabit.

Si quis in veſtimenta ſua minxiſſe ſibi videatur, idque conſpectum ab alijs: in ſcortatione depræhendetur.

Si quis in vaſe quodam ſibi minxiſſe vi deatur, ſi vas ipſius eſt proprium, ſua cũ vxore liberis operam dabit: ſin alienum, alienam inibit.

Si viſus ſibi fuerit vrinã excernere coactus & artatus, exigentur ab eo, quas iniuſtè collegit, opes: & grauiter adfligetur.

Si quis in terræ faciem viſus ſibi fuerit ſanguinem mingere, mulierum cauſſa maximas impenſas faciet, ac gaudio potietur. quippe terra mulieris interpretationem habet.

Si quis vrinam propriam bibiſſe ſibi viſus ſit, impenſas in res ſuas faciet, ac rurſus impudenter expenſas ſuas recipiet.

DE AVRIBVS, INdorum ratio.

XLVIII.

AVres vel vxores, vel ſorores, vel filias ſignificãt: auditus ipſe, ad fidem refertur. Si quis igitur in ſomnis videre viſus ſit aures ſuas pulcherrimas & maximas factas, oblectationem inueniet in vxoribus, aut ſororibus, aut filiabus ſuis.

Si aurem ſibi abſciſſam viderit, vel filia moritur, vel vxor, vel ſoror,

Si aures ſibi diffiſſas, vel deminutas, vel arefactas viderit, in morbum diuturnũ incidet aut vxor eius, aut ſoror, aut filia.

Si ſurduiſſe ſibi viſus ſit, in animi morbum incidet, ac grauiter peccabit.

Si ex parte viſus ſibi fuerit ſurduiſſe, conſimiliter etiam morbus magis particularis erit.

DE AVRIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina. XLIX.

SI quis videre viſus ſit aures ſuas pulchriores maioresq́ue factas, in amico ſuorum arcanorum cõſcio voluptatem ac læticiam videbit.

Si quis inaures præter morem ſuum adhibuiſſe ſibi viſus fuerit, ſuum aliquẽ diuitem faciet, aut amicum arcanorum conſcium, idq́; de opibus alienis.

Sin habebat in more, vt inauribus ſemet ornaret: ſuis ex diuitijs eos collocupletabit.

Si videre viſus aurem ſibi fiſſam, aut vulneratam, aut malè adfectam: per hominem ſuum, vel amicum arcanorum conſcium, offenſam aliquam patietur.

Si aurem abſciſſam integrè viderit, ab

eorum amicitia prorſus excluditur.

Si quis in ſomnis obſtructas ſibi putauerit aures, ſi rex eſt, ſubditorum ſuorum preces planè repudiat, & eſſe rata ſua vult conſilia.

Si plebeius, rationes ſuas reſcindet, ac familiares ſuos fallet.

Si mulier, in ſcortationem incidet, nec vlli obtemperans, impudenter ſe geret.

L. DE VOCE, INDOrum *doctrina.*

VOx & oratio viri, nihil eſt aliud, quàm eius apud populum fama & prædicatio.

Si quis in ſomnis canere ſibi videatur, & eleganti voce præditus eſſe: gaudium atque commendationem apud populum inueniet.

Si rex eſt, iucundum quoddam decretum in populo ſuo breui promulgabit, ac diligetur.

Si rex in ſomnis & videre ſibi videatur, & audire quoſdam voce canẽtes, & ſuauiter quidem: de hoſtibus ſuis hilari nũtio beabitur.

Si quis autem in ſomnis, & videre ſibi videa-

videatur, & audire, vocem ſuam tenuē factam, & imbecillem: vitam plenam doloris, & adflictionem inueniet. quod ſi etiam aduerſarium habet, ab eo ſuperabitur.

Si populi princeps hoc ſomnium habuerit, in bello diſcedet inferior.

DE VOCE, PERSARVM & Aegyptiorum ratio. LI.

SI quis in ſomnis videre viſus ſit, vocē ſuam ampliorem maioremq́; factam: eius liberi & ampliores fiēt, & ſublimiùs adtollentur: hoſtibus formidinem inuenientibus.

Si quis ſibi cithara canere videatur, aut cithara canentem audire: ſi rex eſt, aduerſus hoſtes ſuos conſilia ſtruet, ac ſuperabitur.

Si chordas inciſas videre videatur, calamitas ad populi ſui principes pertinet.

Si quis ſibi raucus factus videatur, contemtui ſeruis ſuis erit.

Si pauper eſt, cui viſum hoc offertur, in paupertate ſua morietur.

DE OCVLIS, INDOrum ratio. LII.

Ocv-

OCVLI ſunt fides, & ſententia, & lux animi.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit prorſus obcæcatus, fidem ſuam perdet, nec diu ſuperſtes erit.

Si cui viſus fuerit alter oculus obcæcatus, fidem ſuam ex ſemiſſe perdet, ac in præſentia multorum pudore adficietur.

Si cui cõtraxiſſe lippitudinem oculi ſui viſi fuerint, grauiter ille quidem delinquet, at reſipiſcet.

Si quis ſomniauerit, viſum ſe quidem hominibus, quaſi nihil cerneret: verùm nihilo minus oculos ſuos abſque vitio manſiſſe: populũ quod attinet, impurus eſſe putabitur: ſed erga Deũ purus erit.

Quantùm in ſomnis deceſſiſſe ſibi de lumine viderit aliquis, tantundem habebit in fide vitij.

Si quis ſomniauerit, oculis ſe medicinam facere, quò ſubtiliùs videant: hic cor ſuum ad Deum reapſe dirigit, & de altera vita ſollicitus eſt.

Si quis ſomniauerit, ſe quidem fuiſſe cæcum, ſed à populo pro vidente habitum: itemque lumen ſuum vitiatum, ſed igno-

ignorante populo: eius occulta opera tendent ad animæ ipſius interitum.

Si quis habere oculum in pectore viſus ſibi fuerit, quo videat: ſi rex eſt, filium procreabit, orthodoxè cũ ipſo regnãtẽ.

Si plebeius eſt, opes & gloriam ſubitò reperiet.

Si mulier, ad opulentioris viri matrimonium perueniet.

Si necdũ nupta, locupleti copulabitur.

DE OCVLIS, PERSArum & Aegyptiorum interpretatio. LIII.

SI quis in ſomnis cęcatus ſibi viſus fuerit, ſi rex eſt, celeriter amiſſo regno, diem obibit.

Si plebeius, grauem ad paupertatem deueniet, exiguum ad tempus ſuperſtes.

Si maritata mulier, breui facta vidua, vitam cum morte commutabit.

Si quis ſibi pulchros & magnos oculos adquiſiuiſſe viſus fuerit, ſi rex eſt, in populo, exercitu, domeſticis ſuis oblectabitur: & inimicos ſuos terga dare coget.

Si plebeius, opum, læticiæ, proſperitatis eorum, quę gerit, incrementũ ſentiet.

Si mulier, ex venuſtate ſua, & marito, & li-

& liberis oblectationem capiet.

Si quis videre viſus ſit, oculos ſuos lippitudine corruptos, ſi rex eſt, exercitus eius graue detrimentum ab hoſtibus capiet: ac ſi filium habebit, morbo corripietur. præterea deminuentur ipſius theſauri.

Si plebeius, pro conditionis ſuæ modo rerum euentus experietur.

LIIII. DE PALPEBRIS ET SVpercilijs, *ex Indorum diſciplina.*

TAM palpebræ, quàm ſupercilia, oculorum ſunt ornamentum.

Si quis palpebras & ſupercilia videre videatur facta formoſiora, ſolidior erit in fide ſua, & voluptatem ſuis ex liberis capiet.

Sin facta magis deformia viderit, ſi rex eſt, morbo corripietur, & in hoſtium formidinē incidet, non tamen ſuperabitur.

Si plebeius, in morbū quidem incidet: at minimè fidem ſuam perdet.

Si quis videre viſus fuerit, defluxiſſe ſibi ſupercilia, tanquam lepra infecto: ſi rex eſt, peribunt ipſius currus, & exercitus malè adminiſtrabitur.

Si quis

Si quis videre videatur ornantem ſe ſupercilia ſua vel nouacula: vel tinctura, liberis ſuis adquirere gloriam conabitur, & voti compos erit.

Si plebeius erit, apud populum fides ei non derogabitur.

DE PALPEBRIS ET SVpercilijs Perſarum & Aegyptiorum interpretatio. LV.

SVPERCILIA cum palpebris gloria decusq; faciei ſunt.

Si quis igitur ea videre videatur facta tum ſpiſſiora, tum ornatiora, quã prius erant: in medio multorum gloriam, & honorem, & aduerſus hoſtes victoriam inueniet.

Quòd ſi expers coniugij fuerit, expetitæ mulieris matrimonio potietur, & diteſcet.

Si quis ea videre videatur nudata, veluti quę defluxerint: eius liberi non ſuccedent in ipſius regno, ſuoq; deſiderio priuabitur, ac inter ipſum & cõiugem eius inimicitia & odium exiſtet.

Si plebeius fuerit, quodcunque in ornatu ſuo gratiſſimum habebit, amittet.

DE

DE FRONTIBVS ET *naſo, Indorum explicatio.*

LVI. FRons & naſus, ornatus ſunt & opes, hominum oculis expoſitæ.

Si quis ergo videre videatur, frontem ſuam latiorem factam, & maiorem, non ſine venuſtate tamen: poteſtatem & opes inter homines inueniet.

Si rex eſt, aduerſus hoſtes ei victoriæ portenduntur.

Si mulier, eius liberi gloriam conſequentur ampliſſimam.

Si quis videre videatur, naſum ſuum ad faciei deformitatem excreuiſſe: proſperitate quidem ille fruetur, ſed pudore coram hominibus adficietur.

DE FRONTIBVS ET NASO, *ex Perſarum & Aegyptiorum doctrina.*

LVII. FRons munimentum eſt, & ſeptum cerebri.

Si quis ergo videre viſus ſit, frontem ſuam vel ruptam, vel aliud paſſam: opes ipſius nudabuntur, totusque formidine percuſſus trepidabit.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, theſauris ſuis aliquid euẽturũ mali cogitet.

Si vi-

Si videre viſus ſit frontem ſuam validã atque formoſam, egregiè munitas & fru ctuoſas opes ſuas vniuerſas intelligat.

Si quis videre viſus ſit nares obſtructas ſibi, nihil vt amplius olfaciat: ſi rex eſt, ſciat illi periculum ab ipſo imminere, qui primo loco de mũdanis negotijs ad regem refert: quia princeps illa cerebri pars à fœtore fragrantiam per nares diſcernit.

Si plebeius hoc videre viſus fuerit, vxor eius ab arcanorum conſcio ſeruo ipſius, vel amico per adulteriũ polluitur.

Si mulier, maritus eius eam fraude circumueniet.

DE GENIS, CEREBRI *membranis, & ore, Indorum ratio.* LVIII.

GENÆ ac membranæ cerebri, ſignificant parandi victus negotium.

Si quis ergo videre viſus ſit aliquid in partibus hiſce paſſus, vel vulneratus, vel ſectione læſus: impotentiam in negotio quærendi victus intelligat.

Sin eaſdem videre viſus ſit factas pulchriores, ornatum & incrementum ſuæ negotiationis interpretetur.

Os hominis domus eſt, quo cuncta compræhenſa clauduntur.

Si quis ergo videre viſus ſit, os ſuum maius atque robuſtius factum: tantundem & domus ipſius munitior & amplior euadet.

Si quis videre viſus ſit os ſuum vulneratum vel percuſſum, id malum ad eum referat, cuius fidei domũ ſuam credidit.

Si, cui ſomnium hoc oblatum fuit, nullum domus ſuæ cuſtodem habet, de vxore intelligat.

LIX. EIVSDEM GENERIS, EX *Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.*

SI quis videre viſus ſit genas ſuas,& cerebri membranas,& os, eleganter dilatata: ſi rex eſt, aut populi princeps, gloriam atq; decus bello partum intelligat.

Si plebeius, aut mulier: quiſque negotijs illis, quæ tractat, incrementum in melius portendi cogitet.

Si quis ſibi viſus fuerit in hiſce partibus aliquid paſſus, ratione illi contraria, quæ indicata eſt, ſomniũ interpretetur.

Si quis videre viſus ſit os ſuum ita læſum, vt loquendi vel comedendi facultas

tas impedita ſit: ſi rex eſt, aduerſi quiddam in theſauris ſuis, ac redituum deminutionem experietur.

Si plebeius eſt, paupertas ſignificatur.

Quòd ſi quis os ſuum ſic obſtructum videre viſus ſit, vt prorſus comedere nequeat: quicunque fuerit, citò morietur.

DE DENTIBVS, INDORVM, *Perſarum, & Aegyptiorum conſentiens interpretatio.* LX.

OMNES hominis dentes, ad omnes ipſius cognatos referuntur. Nam anteriores duo, ad ætatis maturæ liberos, vel parentes & fratres, vel alijs magis propiores cognatos interpretando referimus.

Si quis ergo videre viſus ſit aliquem ex anterioribus hiſce dentibus aut labefactatum, aut denigratum, aut corruptũ à vermibus: ad eos cognatos, quos prædiximus, euentus ſpectat.

Sin quis duos hoſce dentes videre viſus ſit candidiores, aut aptiores ſolito: lætitiam & pulchritudinem cognatorum proximorum portendi ſciat.

Si videre viſus ſit alterum ex hiſce den-

tibus longiorem factum, ab vno prædictorum cognatorum indignationem & adflictionem capiet.

Si videre viſus fuerit alium dentem inter eos enatum, ad coartationem aliorũ: hic homo filium procreabit, aut habebit fratrem vel ſororem, ad oppreſſionẽ & extinctionem reliquorũ cognatorũ.

LXI. DE LINGVA, EX *diſciplina Indorum.*

SI quis in ſomnis videre videatur abſciſſam ſibi, vel minutam linguam, vel auctam adeò, vt eam mouere nequeat: ſi rex eſt, in iudicijs ſuis errabit: aut ſi ſapiens eſt, negliget ac perdet ſapientiam ſuam, & hoſtium obſtabunt ei tropæa, magnumq; detrimentum capiet.

Si plebeius eſt, in litibus ſuis inferior diſcedet, ac ærumnã perpetuã inueniet.

Si mulier, lætitia mariti & amore potietur. nã quæuis mulier lingua ſua maritum ad iram prouocat.

Si quis in ſomnis videre viderit habentem ſe ſubtiliorem ad loquendum, largioremque linguam: ſi rex eſt, in omnibus edictis & iudicijs ſuis admirabilis ac purus erit. Si

Si plębeius, litem habens, ſuperior euadet, ac ſuis in negotijs proſperos ſucceſſus experietur.

Si mulier, & odio proſequetur, & impudenter tractabit maritum ſuum.

DE LINGVA, PERSArum & Aegyptiorum ratio. LXII.

SI quis linguam ſuam mutam factam videre viſus fuerit, ſi rex eſt, princeps notariorum ipſius erit in periculo: atque ipſemet aduerſi quiddam experietur in ijs oneribus, quę à ſcripturis dependent.

Si plebeius, ac miles, occulta cordis eius non patefient.

Si pauper, res ei modo diuerſo ſuccedent.

Si mulier, pudore adficietur, & à vultu virorum remouebitur.

Si cui viſa fuerit lingua ſua facta facunda, ſi rex eſt, meritò primum ex notarijs ſuis diliget, eumq; cohoneſtabit, & ipſius occupationes ad regis emolumentum proſperè ſuccedent: itidemq; cæteris erunt fructuoſæ.

Si quis ita vulneratam ſibi linguam videre viſus ſit, vt in loquendo nihil impedimenti ſentiat, ſed tantùm in comedendo:

dendo: eius opes & annui reditus ab omnibus impedientur, adeoque pauper & inops fiet.

Si cui lingua balbutire viſa ſit, opus ille quoddam molitur, quod in nihilum recidet; ita tamen, vt nihil ipſe detrimenti capiat.

DE DENTIBVS, INDORUM *Perſarum & Aegyptiorum conſentiens interpretatio.*

LXIII.

POST anteriores, quatuor dentes proximi, ad conſobrinos & remotiores cognatos in ſomniorum interpretatione referuntur.

Si cui oblatū in ſomnis fuerit, ex dentib' ſuis aliquos labefactatos, aut ruptos, aut aliquo morbo adfectos: ad cognatos, quos diximus, ea res pertinet.

Si videre viſus ſit euulſos, mors cognatis eius accidet.

Si cui viſus fuerit inter hoſce dentes, alius dens enatus: breui de ſupradictis ei, qui ſomnium habuit, cognatus emerget: ac ſiquidem ille dens recens natus, dentes ceteros coarctauerit, etiam heres ille reliquos in anguſtum coget. Sin eis orna-

ornamento fuerit, & ipſe cæteris decus & honeſtamentum cognatis erit.

Si quis videre viſus ſit hoſce dentes, de quibus eſt dictum, pulchriores ſibi factos, aut ornatiores: gratiam & gaudium in cognatis indicatis reperiet.

DE DENTIBVS, QVOS *caninos vocant, Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum ratio.* LXIIII.

DENS caninus, ſuſtentaculum & fulcimen eſt tam domus hominis, quã generis: innixorum ei ſecũdum Deum, & in eum reſpicientium.

Si quis in ſomnis fractum ſibi dentem illum caninum videre viſus ſit, in periculum veniet incorrigibile, qui maximè firmus in eius domo familiaq; fuerit, ac viciſſim ſpem correctionis habebit.

Si quis dentem illum caninum videre viſus ſit album, & elegantem factum: læticiam ex illo, quem maximè firmum diximus, percipiet.

Si quis videre viſus ſit caninum illum dentem ad tantam longitudinem porrectum, vt ori ſit impedimento ad capiendum cibum atque potum: etiam maxi-

mè firmus iſte in domo & familia ipſius, impedimento erit homini, & ad omnia bona loco cuiuſdam obſtaculi. Sed corrigi tamen poterit, quum & dentis prominentia per limam facilè cæteris exæquari queat.

DE DENTIBVS INTIMIS, *tam ſuperioribus, quàm inferioribus, ex Indorum, & Perſarum, & Aegyptiorum diſciplina.*

LXV.

DENTES, qui molares dicuntur, ad cognatos impuberes & ſub tutela conſtitutos, in ſomniorum interpretatione referuntur: ac ſuperiores quidem, ad mares: inferiores ad ſexum fæmineũ pertinent.

Si quis in ſomnis videre viſus ſit vnum ex his vel labefactatum, vel nigredine obductum, vel dolore correptum: aliquem ex cognatis hiſce, quos diximus, morbus inuadet.

Si quis ex eis vel à verme corruptus, vel fractus eſſe viſus fuerit: cognatus huiuſmodi ſupra ſpem conualeſcēdi morbo diuturno laborabit, & ex paupertate morietur.

Si quis

Si quis eoſdem pulchriores factos, ornatóſue videre videatur: ex cognatis illis, quos diximus, oblectationem capiet.

Si eos polire ſibi videatur, vt albeſcant: dictos cognatos pecunijs & veſtibus exornabit.

Si prominere viſi fuerint, ad impedimentum ſermonis: id ſomnium familiæ rixas, & ob hæreditatem lites portendit.

DE CERVICE, EX *Indorum diſciplina.* LXVI.

CERVIX poteſtatem, & opes, & gloriam, & omnē hæreditatē ſignificat.

Si quis ergo videre viſus ſit ceruicem ſibi craſſiorem, & robuſtiorem, quàm priùs erat, factam, vt ſpecioſa tamen, & elegans eſſet: ſi rex eſt, ex opibus ſuis, & gloria, & exercitu, & poteſtate, cęterisq; ſimpliciter omnibus, voluptatē capiet.

Si plebeius eſt, vel pauper, in omnibus actionibus ſuis plebeius quiſq; laudem inueniet: diuitias pauper.

Si quis videre viſus ſit ceruicem ſponte ſua ſibi ligatam, vel ab aliquo manu cōſtrictam: tam ipſe, quā vniuerſa ipſius hæreditas ad alterum illum perueniet.

Si qui ceruicem conſtrinxit, aut colligauit, ignotus & iuuenis eſt: iunior hoſtē ſignificat, cui tradetur: ſi ſenex, fortunā ipſius denotat, & bonum res exitum ſortietur.

Si quis videre viſus ſit exiliorem factā ceruicem ſuam, & imbecilliorem: ſi rex eſt, in fide ſua primùm errabit, ac deinde calamitates experietur, omnemq; gloriā tam ipſe, quā exercitus eius amittet.

Si plebeius eſt, in paupertatem & adflictionem incidet.

Si plebeij hominis vxor, in exitium vitæ per ſcortationem ruet.

Si quis videre viſus ſit, radi & ornari ceruicem ſuam: quiſquis ille fuerit, cum erogatione ac ſumptu fidem vitamque ſuam vniuerſam exornat. Erogationem fieri neceſſe eſt, propter pilorum amiſſionem.

Si pauper eſt, liberationem ex ærumna denotat.

DE CERVICE, PERSA- *rum & Aegyptiorum conſentiens interpretatio.*

LXVII.

CERVIX totius corporis robur denotat,

tat, quemadmodum & in brutis animalibus, boue, leone, equo, quadrupedibus cæteris videre licet.

Si quis ergo videre viſus ſit ceruicem ſuam craſſiorem factam, ac validiorem, quàm priùs erat: ſi rex eſt, præliator & bellicoſus erit, & hoſtibus formidabilis.

Si plebeius eſt, & miles: ceruicoſus erit, & parùm obediens.

Si quis videre viſus ſit exiliorem factã ceruicem ſuam, & debiliorem: ſi rex eſt, aduerſa prædictis accident.

Si plebeius, conſimiliter obſtaculum ſentiet.

Si quis videre viſus ſit ceruicem ſuam vulneratam, vel vlceroſam, vel ſanguinẽ ex ea manãtem, vel inſtar porci ligatam: hæc omnia patefactionem opum, cum adflictione portendunt.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, maritum ſuum vexabit, auriq́; gratia cũ eo rixabitur.

Si quis videre viſus ſit vel ſe percuſſum ab aliquo, vel alium ab ſe gladio percuſſum in ceruice: qui percutit, percuſſo ſeruiet, & ab eo beneficijs adficietur,

pro modo dignitatis & opum ipſius: qui verò plagam accepit, apud illum alterũ erit in gratia. Et quidem vel maximè tũ erit in gratia, quum ſanguis effluxerit.

Si ſanguis nullus adparuit, beneficium minus erit.

LXVIII. DE CLAVICVLIS HVmerorum, *Indorum interpretatio.*

HVMERORVM clauiculas de concubinis interpretamur, quæ magis adamantur, quàm vxores legitimæ.

Si quis videre viſus ſit haſce clauiculas ampliores factas, mulieres nuptas, quas concupiſcit, amore proſequetur: & ex concubinis ſuis voluptatem capiet.

Si mulier hoc videre viſa ſit, amore viri alterius ardebit: aut ſi nulli viro copulata fuerit, vulgo ſeſe proſtituet.

Si cui viſa fuerit fracta clauicula, magnas in aduerſitates incidet, & à concubinis ſuis ſeparabitur.

Quòd ſi fractam curaſſe ſibi viſus fuerit, hæc ipſa curatio portendit correctionem illius, quod de concubinis eſt dictum.

DE CLAVICVLIS, EX CONſentiente Perſarum & Aegyptiorum interpretatione. LXIX.

SI quis videre videatur haſce clauiculas pulchras robuſtasq́; factas, inueniet aduerſus hoſtes ſuos exercitum, & currus,& victorias, quas expetit.

Si pauper eſt, laborioſus & induſtrius erit.

Si quis videre viſus fuerit haſce clauiculas conſtrictas & coarctatas: hoſtes ſuos formidabit.

Si pauper eſt, in morbum & penuriam alimentorum incidet.

DE BRACHIIS, EORVMq́ue ſuris, ex Indorum diſciplina. LXX.

BRACHIA cum ſuris eorum, ſiue muſculis, ad fratrem, vel ætatis maturæ filium referuntur.

Si quis ergo videre viſus ſit ea maiora robuſtioraque facta, ſi rex eſt, potentia ipſius intelligitur, quę quidem aduerſus hoſtes eius inſurget & augeſcet.

Si filium habuerit, aut fratrem, in eis eam videbit læticiam, quam exoptabat.

Si plebeius eſt, conſimiliter ex filio vel

fratre

fratre voluptatem capiet, ac diteſcet.

Si mulieri viſum hoc oblatũ fuerit, ad mariti cõmodum interpretatio ſpectat.

Si quis in ſomnis videre videatur brachia ſua debilitata, vel attenuata, vel fracta: ſi rex eſt, aduerſi quid accidet ipſius duci, & exercitui: atque vti ſuprà diximus, vel filius eius, vel frater in morbũ & adflictionem incidet.

Conſimilia plebeio quoque portenduntur. Nam & adflictionem, & morbum, & egeſtatem in fratre, vel filio ſuo, videbit.

Si mulier hoc ſomnium habuerit, à marito diuertet, aut vidua fiet.

DE BRACHIIS, PERSArum *& Aegyptiorum interpretatio.*

LXXI. BRACHIVM, & muſculos eius, ad fratrem, vel primum ex ſeruis interpretando referimus.

Si quis brachij muſculos auctos, vel fractos, vel arefactos, videre viſus fuerit, ſi quidem brachium ipſum adhuc vegetum ſit, maior homini calamitas portenditur, in omnibus deſiderijs ſuis fraudato.

to. Amittet autē fratrem ſuum, vel primum ex ſeruis.

Si videre viſus ſit muſculos inſtauratos, & recuperatas eorum in agendo vires: ab ærumna & adflictionibus citò liberatur.

Si quis in ſomnis videre viſus ſit eos factos & craſſiores, & robuſtiores: in ijs, quæ ſperat, atque deſiderat, poteſtatem ac gloriam inueniet.

Si videre videatur brachium magis piloſum, quàm priùs erat, facultates maiores adquiret.

Si pauper hoc ſomnium habuit, ſimiliter & ipſe diteſcet.

DE MANIBVS, IN- *dorum rationes.* LXXII.

MANVS & digiti, ad opera fidei hominum referuntur.

Si quis ſibi viſus fuerit plures adquiſiuiſſe digitos in manu, in precando magis adſiduus erit.

Conſimiliter ſi videre videatur vnum ex digitis amiſſum, in precibus ſuis negligentior, & minùs adſiduus erit.

Digi-

Digitus maior, ſiue pollex, ad preces diluculi refertur.

a Græcis λειχανὸς, à lingendo.

Secundus, qui & [a]index, ad preces horæ diei tertiæ refertur.

Medius, ad preces horæ ſextæ.

Proximus illi digitus quartus, ad preces horæ nonæ.

Minimus, ad preces veſpertinas,

Quidquid horũ alicui acciderit, ad indicatas preces interpretãdo referimus.

Similiter ſi quis alicui digitus viſus fuerit, vel frigore mortuus, vel prorſus abſciſſus, ac auulſus: is homo peccatum maximum committet.

Sin reſtitutum ſanatumq; videre viſus ſit, ad reſipiſcentiam & conuerſionem perueniet.

LXXIII.

DE MANIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina.

MANVM de hominis primo & fideli ſeruo interpretamur.

Si quis videre viſus ſit abſciſſam ſibi manum, vel enectam frigore, vel aduſtã: ſi rex eſt, ſeruũ primũ & fidelem amittet.

Si per vſtionem manum ſuam perdiderit, in bello & pugna moritur, qui ei fidelis eſt. Si

Si plebeius hos ſomnium habuerit, ſeruum pro facultatibus ſuis primum amittet: aut ſi ſeruo caret, propter morbum opus eius ceſſabit, & ad egeſtatem redigetur.

Si maritata mulier, virum amittet.

Si quis videre viſus ſit manum ſuam maiorem robuſtioremq; factam, ſi rex eſt, læticiam atque profectum in præcipuo ſeruo ſuo reperiet.

Si plebeius eſt, tam in ſeruo, quàm operibus ſuis vniuerſis oblectabitur.

Si quis videre viſus ſit manum ſuã vulneratam, aut ligatam: eius ſeruus periculoſas opes, ac formidoloſas adquiret.

Si quis videre viſus ſit digitos ſuos minores factos, in ſeruo ſuo fraudem odiumq; deprehendet.

DE VNGVIBVS, EX *Indorum traditione.* LXXIIII.

VNGVES omnem poteſtatem dignitatum, & opes ſignificant.

Si quis videre viſus ſit vngues ſuos ita mutilatos, vt non promineant extra viuas carnes: opum dignitatumq; ſuarum iacturam faciet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, theſauri & exercitus eius deminuentur, & hoſtes ipſius vexabunt eum.

Si mulieri, venuſtatem ſuam perdet, ac in paupertate morietur.

Si quis videre viſus ſit vngues ſuos radicitus euulſos, calamitas & violentior, & acrior erit: atque etiam breue vitæ ſpatium portenditur.

Si quis videre viſus ſit vngues ſuos auctos, & prominendo ſic incuruatos, vt metuendum videretur, ne frangeretur: quæſtum faciendo maximas opes, non ſine metu tamen, conſequetur. Sumet autem incrementũ tam in dignitatibus, quàm potentia.

Si rex huiuſmodi ſomnium habuerit, theſauri eius implebuntur, & amplior fiet exercitus, & aduerſariarum nationũ regionem in poteſtatem rediget.

Si quis videre viſus fuerit vngues ſuos ordine, ac decenter ornatos: in omnibus ſtudijs & inſtitutis ſuis lęticiam inueniet, & fide ſua perpulchrè ornabitur.

LXXV. DE VNGVIBVS CONSIMI-*liter, Perſarum & Aegyptiorũ interpretatio.*

VN-

VNGVES ad ſeruum primæ auctoritatis,& fidelem, qui domini ſui theſauros habet in poteſtate,referuntur.

Si quis videre viſus ſit, vngues ſuos creuiſſe venuſtè ac decenter: ſi rex eſt, ſemper eius dilectio confirmatur erga primum & fidelem ipſius ſeruum.

Si plebeius, læticiam tam in amico, quàm ſeruo ſuo inueniet.

Si quis videre viſus ſit vngues fractos, aut euulſos, in periculũ veniet is, qui ei fidelis eſt,&in negotiatione ſua ceſſabit.

Si quis viſus ſibi fuerit vngues ſuos ornaſſe forfice, ſeruum ſuum fidelem inſtruet ac ornabit.

Si quis vngues ſuos ornatos videre viſus ſit, eius ſeruus in ſublimitate ipſius decenter ſe geret.

DE PECTORE, INdorum ratio. LXXVI.

PECTVS hominis, eſt vis prudentiæ ipſius.

Si quis videre viſus ſit, ampliari & aperiri ſolidè pectus ſuum: ſi rex eſt, munificus erit,& opes alijs largietur, & magnanimitate præditus, in bellicis rebus excellet,

cellet, victorijsq́; potietur.

Si agricola eſt, in operibus ſuis profe-ctum maiorem experietur.

Si plebeius, conſimiliter induſtrius & ſedulus erit.

Si quis arctius minusq́; ſibi factum pe-ctus videre viſus fuerit, ſi rex eſt, parcus erit, odiumque promerebitur, & repræ-henſionem in ijs quæ decreuerit.

Si plebeius, artabitur in vita ſua.

Si mulier, nunquam pariet.

DE PECTORE, PERSA-rum & Aegyptiorum conſentiens interpretatio.

LXXVII.

PECTVS, hominis vitæ murus & mu-nimentum eſt.

Si quis in ſomnis videre videatur pect' ſuum pinguius latiusq́; factum, grandæ-uus erit, & opulentus, pro modo pingui-tudinis.

Si miles eſt, in bellis ſucceſſus habebit proſperos.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, multis editis liberis, tamen expers libe-rûm erit.

Si quis videre viſus ſit pectus ſuum, vel atte-

attenuatum, vel imbecillius factum, vel cęſum plagis: morbos complures experietur, & vitæ ſpatio non longo fruetur, & valde vexabitur, & pauper erit.

DE VENTRE, EX *Indorum diſciplina.* LXXVIII.

VENTER, & quæ ventrem vndique cingunt, & ventre clauſa, de opibus & liberis hominis intelligitur.

Si quis videre viſus ſit ventrem ſuum contractum magis, quàm ſolebat: ea res mortem liberorum portendit, & opum perexiguam copiam.

Si quis eundem videre viſus ſit intumuiſſe, ac inflatum eſſe, citra morbum tamen: magno liberos numero procreabit, & multas poſſeſſiones habebit.

Si quis videre viſus ſit ventrem ſuum inflatum, qui cæteroqui ſit vacuus: priuatim pauper erit, at opulentus eſſe populo videbitur.

Si quis ſibi viſus fuerit admodum eſurire, rebus in omnibus ſollers ac laborioſus erit, proq; modo famis diteſcet.

Si quis ſibi viſus fuerit ſatiatus, quum eſurierit: eo ipſo tempore ſaturabitur, &

quid-

quidquid inueſtigat, ac ſingulari cum deſiderio & ſollicitudine inquirit, inueniet.

Si quis viſus ſibi fuerit aqua ſatiatus, quum ſitiret: ſi quidem aqua frigida, dulcis, pellucida eſſe viſa fuerit, vitam hilarem exiget, auriq; magnam adquiret copiam. Sin turbida, tepida, & inſuauis: in adflictione, morbo, acerba fortuna vitam finiet.

DE VENTRE, EX PERSArum & Aegyptiorum diſciplina.

LXXIX. SI quis per quietẽ videre videatur ventrem ſuum pinguiorem maioremq; factum: eius domus & opes incrementum ſument, pro modo pinguitudinis.

Sin attenuatum contractumq; videre videatur, tã curis, quàm domeſtica multitudine cum lætitia liberatur.

Si quis ſibi tormina ventris ſentire viſus fuerit, adflictionem & ſollicitudinẽ in domo ſua reperiet.

Si quis videre viſus fuerit ventrem ſuũ ita ruptum, vt curari nequeat: citò familiam ſuam, & nulla quidem teſtatione facta, perdet.

DE

DE SCOPTVLIS ET MAMmis, ex Indorum diſciplina. LXXX.

MAMMÆ proculdubio ad filiam referuntur.

Si quis mammas ſuas pulchras & pingues videre videatur, in filia ſua lęticiam inueniet.

Si quis eo loco vulnus, aut plagas accepiſſe viſus fuerit: morbo filiæ laborabũt. Si filiam nullam habet, ad proximam genere malum pertinebit.

DE SCOPTVLIS, EX Indorum diſciplina. LXXXI.

SCOPTVLÆ ad vxorem viri legitimã, hoc eſt, ad matrem liberorum ipſius, referuntur.

Si quis alterutram ſcoptularum excuſſam fractámue videre videatur, vxoris legitimæ morbum intelligat, & rixam quandam, ſine pleno tamen diuortio.

Si quis eaſdem maiores factas videre viſus ſit, cum robore gloriam vxor eius adquiret, & maritus ipſe verbis eius, quaſi ſubditus, cedet.

Si videre videatur ſcoptulam ſuam ab ſe remotam ſeparatamq́;, ab vxore ſua,

mortem obeunte, citò ſeiungitur.

Si mulier hoc videre viſa ſit, ſi quidem filiam habet, filia morietur: ſin autem, de cognatis proxima genere fæminei ſexus obibit.

DE SCOPTVLIS, PERSArum & Aegyptiorum rationes.

LXXXII.

SCOPTVLÆ fratrum diuitias & robur ſignificãt, idq; propterea, quòd ab eis brachia dependeant.

Si quis videre viſus ſit ſcoptulam ſuam aliquid paſſam, eius frater admodum adfligetur. Si fratre caret, ad conſobrinos, aut alios genere proximos, caſus aduerſus pertinebit.

Conſimiliter, ſi quis videre videatur, ſolidiores maioresque factas ſcoptulas ſuas: ex antedictis perſonis lęticiã capiet.

DE INTESTINIS, ET INteriore membrorum quaſi ſylua, rationes Indorum.

LXXXIII.

SI quis videre videatur inteſtina ſua per anum egreſſa, ſuſpenſaque: de familia & domo ipſius aliquis per occaſionem rixarum exibit, relictis poſſeſſionibus & facultatibus: ac nihilo minus reuerte-

uertetur, ob eam cauſſam, quòd inteſtina plenè abſciſſa non fuerint. Adfligetur & is, cui viſum hoc oblatum fuerit.

Si quis ſibi viſus fuerit de proprijs inteſtinis comediſſe, opes à ſuis hominibus conſequetur.

Conſimiliter ſi viſus ſibi fuerit aliena comediſſe inteſtina, de bonis alienis diteſcet.

Si quis videre videatur egreſſum iecur per anum, ſi rex eſt, theſaurus eius diſſipabitur, & ipſe morietur. quippe iecur, quaſi quædam ſanguinis radix eſt: & ſanguis aurum opesq; ſignificat.

Si plebeius quiſpiam huiuſmodi ſomnium habuerit, ſanè quàm periculoſè curabitur, & facultates ipſius publicabuntur, & ita morietur.

Si quis ſibi videatur inueniſſe iecur alterius hominis, idq; ſuſtuliſſe: theſaurũ inueniet aureum, pro iecinoris inuenti magnitudine.

Conſimiliter & in omnibus medullis eadem eſt interpretatio.

Si quis viſus ſibi fuerit inueniſſe iecur & pulmonem arietis, aut hirci, aut alte-

rius animalis cornuti: diuitias magnatis alicuius, & in dignitate conſtituti, vniuerſas apiſcetur. Quippe cornua dignitatibus reſpondent.

LXXXIIII DE INTESTINIS ET VISCERIBUS, *Perſarum & Aegyptiorum rationes.*

SI quis videre viſus fuerit, exiſſe iecur ſuum per anum: ſi opulentus eſt, & œconomum ſuum, & omne deſiderium amittit. nam iecur vniuerſæ carni alimoniam ſuam diſtribuit. Sic nimirum & priſcæ leges noſtræ ſtatuerunt, quum adoleſcens deprehenſus fuiſſet filiæ pontificis noſtri raptor, vt iecur ipſius aues deuorarent: quoniam iecur eſt omnium libidinum cupiditatumq; cauſſa. Quin & is ipſe, cui ſomnium hoc oblatum fuerit, in adflictione morietur.

Si quis videre videatur, exiſſe pulmonem ſuum vel ſuprà per os, vel infrà per anum: cum periculo deſiderium ſuum, & auctoritatis primæ ſeruum amittit. Nam pulmo refrigerio ſuo cordis igni ſolatium præſtat.

Si pauper hæc videre videatur, citò morietur. Si

Si quis omnium, inde vſque à rege, ad extremæ ſortis hominem, aliquid ſibi viſus fuerit in corde paſſus: hoc ipſum quoq; ſubitam mortem propterea portẽdit, quòd cor ad hominis vitã ſpectet.

Si quis videre viſus fuerit inteſtina ſua & egreſſa, & abſciſſa: diuitias ſuas amittet, ac in ærumna morietur.

Si mulier hoc ſomnium habuerit, liberi eius exoptati vitam cum morte commutabunt. LXXXV.

DE VENTRIS VERMIbus, *Indorum ratio.*

SI quis videre viſus ſit ventrem ſuum repletum vermibus, qui quidem in eo alantur: in eius domum multitudo peregrinorum veniet, ibidem alenda, donec ipſius res in anguſtum redigãtur.

Si rex eſt, nouum inſtituet exercitum, eumq́; ditabit.

Si mulier, ex ſcortatione grauida fiet.

Si quis videre viſus fuerit vniuerſum corpus ſuum carniuoris repletum vermibus, contra voluntatem animi ſui populum & ipſe paſcet.

Sin

Sin pauper eſt, pro vermium multitudinis modo diteſcet.

DE VERMIBVS, PERSArum & Aegyptiorum interpretatio.

LXXXVI. SI quis ſibi per quietē vermibus veſci viſus fuerit, colonos adquiret, de quibus lucrum faciet.

Si quis ventrem ſuum vermibus repletū videre viſus fuerit, ſi vir maximus eſt, imbellem coget exercitū, & indignis ſubſidia feret, & in his opes ſuas amittet. Si pauper eſt, ampliꝰ pauper eſſe perget, & auxiliatores imbecillos nanciſcetur.

Si quis ſibi viſus fuerit vermem per anū excernere, tam ſollicitudine, quā vexatione illorum liberatur, quos nullo cum emolumento ſuo ſecum habuit, adeoq; miſeriam ſuam omnem expuet.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, ex ſcortatione pariet, ac fœtus in lucem editus minimè ſuperſtes erit.

Si quis ſibi viſus fuerit ex plagis vermes reijcere, magis ille quidem diteſcet, at parcus erit.

DE TOTA HOMINIS carne, ex Indorum rationibus.

LXXXVII.

CAR-

CARNEM vniuerſam ad omnes diuitias & aurũ interpretãdo referimus.

Si quis carnem ſuam magis auctam videre viſus fuerit, aurum & opes pro modo carnis ipſius adquirit.

Si quis ſibi carnem humanã ediſſe viſus fuerit, ex cõuicijs & obtrectatione diteſcet, pro quantitate carnis, quã comedit.

Si viſus ſibi fuerit aſſatã hominis carnẽ ediſſe, per vſuras opes iniuſtas adquirit.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, à ſuperiore punietur.

Si mulier, ex furtiuo concubitu liberos imbelles edet.

DE CARNE, EX PERSArum & Aegyptiorum diſciplina. LXXXVIII.

CARNEM de pluribus interpretamur. Si quis factus ſibi carnoſus & craſſior viſus fuerit, in copia veſtium læticiã inueniet, pro ratione carnis auctæ.

Si quis attenuatum ſe videre viſus fuerit, ſi diues eſt, opes ſuas occultabit, & per ſimulationem erga homines pauperis ſpeciem præ ſe feret.

Sin pauper eſt, morbo & egeſtate vitam finiet.

Si

Si mulier, apud maritum, vel propinquos ſuos, in odio erit.

Si quis videre viſus fuerit carnem ſuã, quæ eſſet alba, denigratã inſtar æthiopis: mẽdax, & ridiculus, & infidelis euadet.

Si mulieri viſum illud oblatum fuerit, de ea patefiet, quòd ſcortum ſit: & à marito per diuortium ſeparabitur.

Si quis videre viſus fuerit ſe, qui eſſet albus, alium colorem nanctum: in diuturnum febrilem morbum incidet.

Si quis vulneratam carnem ſuam videre viſus fuerit, inſtar papularum: per monetariam ſolidos aureos adquiret, pro modo puſtularum.

DE SVSPENSIONE IN *crucem, ſiue furcas, ex Indorum literis.*

LXXXIX.

SI quis in ſomnis videre viſus fuerit, ſe de ſententia illius, qui rerum potitur, per vim & coactionem de collo ſuſpenſum: pro modo ſublimitatis, ad quam elatus in ſuſpendendo fuit, dignitate ornabitur.

Sin is, qui ſomnium habuit, æger eſt, aut adfligitur: vi malis iſtis liberabitur, ac tandem lætitia fruetur.

Conſi-

Conſimiliter, ſi quis videre viſus fuerit, ſe tradentem alterum ad ſuſpēdium, ſi rex eſt, aut populi princeps, primùm erga illum, qui traditur, excandeſcet ac iraſcetur: ſed honore deinceps eundem adficiet. Is autem adfectus honore, contra Deum delinquet.

Si quis ſibi carnes hominis in crucem acti manducaſſe viſus fuerit: ab excelſo quodam homine non ſine peccato diuitias conſequetur, pro modo & quantitate carnium, quas comedit.

DE SVSPENSIONE IN *crucem, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.* XC.

SI quis ſibi viſus fuerit adfixus cruci, ſi pauper eſt, diteſcet: ſi diues, per vim & ſupplicia maiores opes lucrabitur.

Si quis ſibi neruis excoriatus & cæſus eſſe viſus fuerit, atque ita cruci adfixus: pro modo flagrorum, quibus adfectus eſt, populo vel numeroſo, vel exiguo cū poteſtate præerit, ſupra eos euectus.

Si quis in crucem actus ſibi viſus fuerit de ſublimi viciſſim deſcendiſſe, dignitatem amittit, etiam diuitijs ipſius in nihilum redactis. Si

Si quis ſibi viſus fuerit in crucẽ actus, & incenſus: in altum euehetur locum, & populi princeps erit, ac deinceps propter vim ignis neceſſariò peribit.

DE COSTIS, EX *Indorum diſciplina*.

XCI. COSTÆ mulieres ſignificant, ac ſuperiores quidem, & maximæ, legitimæ ſúnt vxores: inferiores autem, adfines ob propinquitatẽ generis cognatæ.

Si quis videre viſus fuerit aliquas de ſuperioribus magnis coſtis fractas: ei miſeria imminet ab vxoris ſiue morbo, ſiue rixa.

Si quas ex inferioribus coſtis fractas videre viſus fuerit, à ſupradictis genere ſibi cõiunctis, fæminei ſexus, adfligetur.

Si quis videre viſus fuerit coſtas ſibi robuſtas latasq; factas, in vxore ſua, vel eo, qui eius familiæ cum imperio præeſt, læticiam inueniet.

Coſtæ ſunt quaſi parietes domus, & ad eos interpretando referuntur, qui domum cuſtodiũt: ac ſi quid eis illatum damni fuerit, ad eorum perſonas pertinebit, qui domus cuſtodes ſunt.

Si

Si quis videre viſus fuerit primas coſtas ſuas incurabiliter fractas, œconomus & administrator domus eius morietur, ac ipſe grauiter adfligetur.

Si quis videre viſus fuerit coſtas ſuas ſolidiores maioresq; factas, eius opes in tuto erunt, & cuſtodes illarum gratiam inuenient.

DE COXIS ET RENIBVS, *ex Indorum diſciplina.* XCII.

COxas de perſona illius, cui ſomniũ offertur, ob eã cauſſam interpretamur, quòd omnis ibi vis hominis ſita ſit.

Si quis videre viſus ſit coxas ſuas maiores, latiores, robuſtioresq; factas: in ſeipſo robur, gaudium, ſanitatem, & fœcũditatem inueniet.

Si quis eas partes fractas videre viſus ſit, vel quòd ex earum morbo nequeat ambulare: in adflictionem, & morbum, & orbitatem liberorum incidet.

Si quis videre viſus ſit coxas flagris aut gladio confractas, breui morietur.

EX PERSARVM ET ÆGYptiorum doctrina conſimiliter. XCIII.

SI quis coxas ſuas maiores ſolidioresq;

factas videre viſus fuerit,in vxorib⁹ ſuis læticiam inueniet. Si nullam vxorem habet, ex hæredibus ſuis voluptatem percipiet.

Si quis videre viſus fuerit coxas ſuas attenuatas & imbecilles factas, vxores ſuas odio proſequetur.

Si coxas medias diſſectas videre videatur, reſecabitur eius erga vxores & propinquos ſpes, ac peregrè morietur.

DE VIRGA VIRILI, *ex Indorum diſciplina.*

XCIIII. INTERPRETATIO virgæ virilis ad famam, & poteſtatem, & liberos viri pertinet.

Si quis penem ſuum maiorē robuſtioremq́; factū videre viſus ſit, & ob dignitatē celebrabitur, & liberos mares procreabit.

Quòd ſi regi ſomnium hoc oblatum fuerit, primum longæuus erit, & filium ſucceſſorem videbit.

Si quis videre viſus ſit penem ſuum valde diſtentum, quem adueniens alius quiſpiam præhenderit: ſi rex eſt, gaudium ipſius multum incrementi ſumet: & qui

& qui penem eius præhendit, nimirum regis arcanorum conſcius, poteſtatis regiæ particeps erit.

Sin alicui plebeio viſum hoc oblatum fuerit, in ſtudio & inſtituto quiſque ſuo ſumet incrementum.

Si mulier viſa ſibi per quietem fuerit adquiſiuiſſe virgam virilem, ſubolem maſculam pariet, ipſius familiæ decus inferentem.

Si quis ſibi viſus fuerit duos nanctus penes, prolem maſculam conſequetur, alteram ab illa, quam priùs & ipſam maſculam habebat. Sin nullam habebat, duos ſimul procreabit mares, ſiue gemellos.

Si quis abſciſſum ſibi penem videre viſus fuerit, ei filius morietur, & ipſe filio non diu ſuperſtes erit.

Si non abſciſſum prorſus videre viſus fuerit, vxor ei marem pariet, qui editus in lucem morietur: & ipſe calamitatem experietur, quæ tamen deinde rurſum mutabitur & corrigetur.

Si quis videre viſus fuerit penem ſibi ſupra modũ in longitudinẽ porrectũ, in

filio lætitiam videbit, & celebris ac magnus euadet.

Si penem ſibi minorem factum, ac marcidum, videre viſus fuerit: dignitate ſua deturbatus ad egeſtatem redigetur, & liberi eius in morbum & inopiam incident.

XCV. INTERROGATIO DE *virga virili.*

QVIDAM quum recens vxorem duxiſſet, Sereimum Mammunæ ſomniorum interpretẽ hoc modo conſuluit. Per quietem, inquit, videre viſus ſum penem mihi prorſus abſciſſum. Cui Sereimus: Ab hac, ait, hora ſex menſes numerato, quo quidem ſexto menſe ſine liberis decedes. Poſtquam ſextus menſis impletus fuiſſet, homo ille nullis poſt ſe relictis liberis viuendi finem fecit.

XCVI. EX PERSARVM ET ÆGYPTIORUM *diſciplina conſimiles interpretationes.*

SI quis penem ſuum & craſſiorem, & robuſtiorem factum videre viſus fuerit: ſi populi caput eſt, populus eius magnus, potens, opulentus erit.

Si

Si pauper, & plebeius: in profeſſione ac inſtitutó vitæ ſuæ mutationem fieri videbit.

Si ſupra modum penem ſibi longum factum videre viſus fuerit: per vxorem abundè multum honoris, gloriæ, diuitiarum inueniet.

Si quis abſciſſum ſibi penem videre viſus fuerit, grauiter punietur, & inops fiet. Quòd ſi quis equis abundat, eos amittet.

Si quis videre viſus fuerit penem ſuum detectum, & conſpectum ab aliquibus: in repræhenſiones & infamiam incidet, & arcanum eius publicabitur.

Si quis videre viſus fuerit penem ſuum priuatim in loco ſuo detectum, arcanum mulieris eius ibidem manifeſtum fiet.

Si quis duos ſibi penes habere viſus fuerit, breui & vxorem, & liberos habebit.

Si quis videre viſus fuerit vxorem ſuã virili præditã virga, filiũ illuſtrẽ habebit.

Si quis ſibi viſus fuerit cum eunucho noto cubuiſſe, quaſi cum muliere: diuitias ei ſuas, & arcana credet: ſi cum ignoto, beneficijs hoſtem ſuum adficiet.

XCVII. DE PVDENDIS, EX *Indorum diſciplina.*

SI quis videre viſus fuerit abſciſſa ſibi pudenda, ſi quidem bellator eſt, in hoſtium ſuorum manus tradetur.

Sin populi caput eſt, populus eius peribit, & ad inopiam ipſe perueniet.

Si quis pudenda ſua rupta videre viſus fuerit, ab hoſtibus ſuis vincetur.

Si pudenda ſibi maiora robuſtioraque facta videre viſus fuerit, ſi rex eſt, aduerſus hoſtes ſuos præpotens erit, & neminem omnium metuet.

Si plebei9, cõſimiliter omnis expers formidinis erit, & facultates ſuas augebit.

Si quis ſibi videre viſus fuerit, cute ſciſſa virile membrum excidiſſe: illius vxor pariet, illa quidem, ſed ex alterius concubitu, idq; furtum depræhendetur.

Si quis ſibi viſus fuerit ea parte nimio pondere grauatus, aurum pro ipſius herniæ modo quantitateque reperiet, & ab omnibus hoſtibus ſuis, ipſoq; principe ſuo ſibi metuet.

XCVIII. PERSARVM ET ÆGYptiorum conſimiles interpretationes.

Si

SI quis abſciſſa ſibi pudenda videre viſus fuerit, ſi liberos habet, morientur: nec alios procreabit, quum pudēda quidam ſint quaſi canalis & ductus ſeminis.

Si rupta fractáue, ſibi pudenda videre videatur, liberi eius diuturnis erūt morbis obnoxij.

Si quis pudenda ſolidiora maioraq; facta videre viſus ſit, ex liberis ſuis voluptatem percipiet. Si liberos nullos habet, marem procreabit.

Si qui eunuchus eſt, videre ſibi videatur pudenda recuperata: gloriam adipiſcetur, & ex animi ſui deſiderio diteſcet, eiusq; ꝓpinqui ad eū peregrè reuertētur.

Si quis ſibi viſus fuerit teſtem læuum amiſiſſe, femillā non procreabit propterea, quod inde fæminei fœtus oriantur.

Si dextrum teſtem amiſiſſe ſibi viſus fuerit, nullos mares procreabit.

Si videre viſus ſit abſciſſa cum penè pudenda, citò morietur.

DE FEMORIBVS,

Indorum traditiones. XCIX.

FEMORA de cognatis omnibus interpretanda ſunt.

Si quis ambo ſibi femora videre viſus fuerit contuſa, ſolus peregrè morietur.

Si femur vnum contuſum videre viſus fuerit, cum paucis ſuorum peregrè vitam finiet.

Mulier ſi videre viſa fuerit contuſa ſibi femora, marito peregrino copulabitur, & prorſus à propinquis ſuis remota peregrè deget.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, in tormentis extinguetur.

Si quis femora ſua facta craſſiora videre viſus fuerit, ſi rex eſt, ex domeſticis ſuis, & exercitu, & ſeruis oblectationem capiet. Quippe nequit ad regem dici, Cognati tui: ſed, Serui tui: quoniam à Deo regnandi poteſtatem habet.

Si plebeio viſum hoc oblatum fuerit, cognati eius ad aliquam euehentur gloriam, eaq́; res ipſi iucunda accidet.

Si mulieri, magnam ex liberis ſuis oblectationem capiet.

PERSARVM ET ÆGYPTIO-*rum conſimiles rationes.*

C. SI quis femora ſua penitus contuſa videre viſus fuerit, eius vita pœnis ob-

noxia

noxia ridebitur ab alijs: idq́; propterea, quòd poſtquã hominis femora contuſa ſunt, ridiculè mutilatus pedes trahat.

Si mulier hoc ſomnium habuerit, & vidua fiet, & liberos amittet.

Si quis femora ſua facta craſſiora ſolidioraq́; videre viſus fuerit, in iis quiſque proficiet, quæ ſtudioſè cõſequitur. Nam de robore femorum, curſus augetur.

Si quis in femore plagam accepiſſe ſibi viſus fuerit, non adſequetur id, quod ſtudioſè quærit: ſed impeditus adfligetur.

DE GENIBVS, EX PERSArum Indorum & Aegyptiorum disciplina. CI.

GENV ad quoduis hominis opus refertur.

Si quis ſe offendiſſe, vel offenſum genu ſuum videre viſus fuerit: in profeſſione ſtudioq́; ſuo miſeriam acrem ad tempus inueniet.

Si quis ſecta, vel exiccata genua ſua videre viſus fuerit, adeò quidem, vt incedere liberè nequeat: ad egeſtatem perueniet, anguſtaq́; ratione victus vtetur.

Si curatis genibus commodè ſibi viſus

fuerit vſus, poſt paupertatem diuitias viciſſim conſequetur.

Si genua tumore cancroſo ſic corrupta videre viſus fuerit, ꝓrſus vt moueri nequeāt: morbo diuturno prorſus interit.

Si genua ſibi videre viſus fuerit ad acriter currendum confirmata, in omni opere ſuo proſperitatem experietur.

Si mulier hoc ſomniū habuerit, pedes eius veloces ſunt ad capiendum virum.

CII. DE SANGVINE AC HVLCE-*re, ex Indorum diſciplina.*

SANGVINEM & hulcera de auro & facultatibus interpretamur.

Si quis videre viſus fuerit manantem ex plaga vel fluxu ſanguinem, qui rubedine ſua veſtes ipſius aut carnem inficiat: pro modo ſanguinis, qui defluxit, aurum inueniet.

Sin ex hulcere viſus ſibi fuerit pollutus, aurum inueniet, at cū labore. Nam ſanguis haud ſine moleſtia & doloribus in hulcus mutatur.

Si quis videre viſus fuerit venas ſuas ſponte apertas, aurum erogabit, pro modo ſanguinis, qui promanauit. Sin ſe inuito,

uito, pro portione fluxus, aurum & ipſe expendet.

Si bibiſſe vel comediſſe ſaguinem viſus ſibi fuerit, aurum alienum non ſine peccato conſequetur. Nec enim perceptio, vel eſus potúſue ſanguinis, diuinitus eſt permiſſus.

Si quadam in parte corporis ortum apoſtema videre viſus fuerit, pro illius quantitate diuitias adquiret.

PERSARVM ET ÆGYPTIOrum conſimiles rationes. CIII.

SANGVIS eſt vis hominis, & vita.

Si quis videre viſus fuerit fluentem ſibi è naribus vel capite ſanguinem, eius viſi damnoſum euentum ad caput, ſiue ſuperiorem ſuum referat.

Sin è carne profluxit ſanguis, maximam tolerabit inopiam, & vitæ breuis erit.

Si quis videre viſus fuerit præ copia ſanguinis tumeſcentes ſibi venas, ſi rex eſt, longa potietur vita, ſuosq; theſauros augebit.

Sin plebeius, quiſq; ſua in profeſſione ac ſtudio mutationem experietur.

Si quis morbi cauſſa ſanguinẽ ſibi miſiſſe viſus fuerit, ſi quidẽ vel adflictus eſt, vel in neceſſitate conſtitutus, omni ærũna liberabitur: ſin autem, damnum & ſollicitudinem acrem inueniet.

Si videre ſibi viſus fuerit, ex hulceroſa corporis parte quiddã promanaſſe: aurum per iniuriam lucrabitur, inq́; facto depræhendetur, & ablatum viciſſim exigetur.

CIIII. DE STERCORE AC VRINA, *Indorum, Perſarum & Aegyptiorum rationes.*

SI quis ſibi viſus fuerit ſuſtuliſſe ſtercus humanum, aurum lucrabitur, ſed infamis interim erit, propter inuentæ per quietem rei fœtorem.

Si videre viſus fuerit veſtes humano ſtercore fœdatas, cum quibus coram aliquibus comparuerit: alienas opes lucrabitur, & in facinore depræhendetur.

Si comediſſe ſtercus humanum viſus ſibi fuerit, aurum hoſtis ſui nequiter ac pugnando lucrabitur.

Si iumenti ſtercus ederit, maius erit lucrum, & peccatum minus.

Si

Si quis videre viſus habuerit per anum excreuiſſe ſtercus in ſellam propriam, expenſas è domo ſua faciet. quippe ſella locus eſt expẽſarum ipſius. ac ſi quidem id,quod excretum eſt,ſiccum fuerit:expenſa non magna eſt.ſin humidum,maxima.

Si quis viſus ſibi fuerit in alienam ſellã excremẽta reieciſſe, in peregrinam perſonam ſumptum faciet.

Sin peregrinam in terram ſimpliciter, in mulierem ſumptum erogabit,ad peregrinationem.

Si quis viſus ſibi fuerit per coactionẽ & læſionem excernere ſæpiùs, ſi rex eſt, vi cogetur exhaurire theſauros ſuos ad impenſas militares.

Si plebeius eſt,per vim aurum eius deminuetur.

Si pauper,in famem ac vim incidet.

Quantum enim cunq; ſtercoris per anum excernitur à præditis ratione, vel brutis: de facultatibus hominis interpretandum eſt.

Si quis viſus ſibi fuerit ſanguinem, vel aquam, per anum excernere: damnum acrius erit.

Si

Si quis viſus ſibi fuerit quaſi quandam leguminum ſpeciem excernere, liberatur ærumna.

Si per anum lapides & ſaxa ſibi viſus ſit excreuiſſe, ſi æger eſt, aut adfligitur, malis iſtis liberabitur: ſin autem, homines in familia nullius frugi dimittet.

Si ſerpentes excreuiſſe ſibi viſus ſit, ab hoſte dom9 eiuſdē participe liberabitur.

Si lūbricos reiecerit, familia ipſius pro modo multitudinis lumbricorum. . . . .

Si pauper eſt, ad opulentiam reuertetur, idq; propterea, quod lūbricos ipſum corpus infeſtantes abiecerit.

Si ſanguinem excreuiſſe ſibi viſus ſit, diuitias cum peccatis dimittet.

Si viſus ſibi fuerit in eo ſanguine volutatus, aut inquinaſſe veſtimenta: rurſus illorum peccatorum & diuitiarum fit particeps.

Si quis viſus ſibi fuerit minxiſſe ſangui nem, ad infamiam & dedecus ſuum ſubolem procreabit.

Si viſus ſibi fuerit minxiſſe bilem, ſubo lem gignet vitioſam, & citò morituram.

Si viſus ſibi fuerit in vas minxiſſe vitreum,

treum, ſi rex eſt, cum indigna ſe muliere conſueſcet & rem habebit: ac prægnãtem illam quidem ex ſe reddet, ſed ante partum fœtus extinguetur.

Si plebeius eſt, vxorem vitæ breuis, & pluribus obnoxiam morbis ducet.

Si viſus ſibi fuerit inueniſſe foueã ſtercoribus plenam, ad quam nõnihil offenderit: à furibus & calumniatoribus ineſcabitur.

Si viſus ſibi fuerit & lapſus in illam foueam, & prorſus obrutus: per eſcas eorum & illecebras obruetur.

Si foueam duntaxat videre viſus fuerit, ac fœtorem tantummodo ſenſiſſe: nihil ij proficient, qui hominem ineſcare nituntur, ſed paulum modo vexabitur.

DE PLAGIS ET VVLNE-*ribus, Indorum rationes.* CV.

SI quis ſe videre viſus ſit gladio percuſſum ab aliquo noto, beneficijs ab eodem adficietur.

Sin ab ignoto, inimici opera pacẽ conficiet.

Si qs viſus ſibi fuerit acceptũ vulnus curare, ſemet in hominũ oculis oſtẽtabit.

Si quis ſibi viſus fuerit hulceroſus, & pluri-

ſident, pro modo puſtularum ditabitur.

Si cui caro ſua viſa fuerit intumuiſſe per apoſtemata hulceroſa, totum hoc ad opes refertur, ſecundum interpretationem ipſarum partium, quæ exhulceratæ ſunt.

Caput enim ad eum, qui rebus ſumma cum poteſtate præeſt, refertur:

Ceruix, ad illum, cui ſomniũ offertur:

Dentes, ad omnes cognatos:

Humerorũ clauiculæ, ad cõcubinas:

Brachia, ad fratrem, vel propinquũ, qui alicui in delicijs & amoribus eſt:

Scoptulæ & coſtæ, ad vxorem:

Manus, ad auctoritatis primæ ſeruũ:

Femora, ad cognatos:

Crura & pedes, ſi quis pauper eſt, ad vitam ipſius: ſi rex, ad primæ auctoritatis & arcanorum conſcium ſeruum.

DE LEPRIS, SIVE SQVAMIS CUTIS, *ex Indorum diſciplina.* CVII.

OMNI modo lepra de diuitijs cum infamia coniunctis intelligitur.

Si quis videre ſe viſus fuerit infectum lepra, pro lepræ ipſius ratione diteſcet: ignominia tamen adfectus, & abditus.

Si ſolam quis carnem adfectam videre viſus fuerit, non etiã faciem: diteſcet ille quidem, ſed odium populi ſui nõ incurret. Edicta tamẽ eius parum populo placebũt, ſi rex eſt, & vita breui fruetur.

Si plebeius, diuitias abſque odio conſequetur.

Si mulier, cum viro maximo conſueſcet, & ab eo ditabitur.

DE LIMFATICIS, PERSArum & *Aegyptiorum rationes.*

CVIII. SI quis viſus ſibi fuerit limfaticus eſſe, vel vrgeri à dæmone, in ipſius populi conſpectu, vel in templo: ſi rex eſt, læticiam cum longa vita reperiet, & aduerſus hoſtes triumphabit.

Si plebeius, à principe lædetur, at vulgus ei benefaciet, ob eam commiſeratio nem, qua erga limfaticos moueri homines ſolent.

Si priuatim vrgeri à dæmone viſus ſibi fuerit, ſi quidem rex eſt, aduerſus hoſtes occulta inueniet loca, victoriaq; de ipſis potietur, & ad finem deſideria ſua perducet.

Si plebeius, diuitias inueniet, & occultabit eas, nec patefient.

Si mulier hoc ſomnium habuerit, fœtum marem edet, isq; ad populum olim maximus erit.

DE LIMFATICIS EX *Indorum diſciplina.* CIX.

SI quis viſus ſibi fuerit vrgeri à dæmone, beneficentiam principis experietur, & diu viuet.

Si dæmonem videre viſus fuerit, qui tamen ipſum non corripuerit, aut inuaſerit: homini regio preces offeret. ac ſi quidem adloquutus eũ fuerit dæmon, ab homine iſto regio exaudietur.

Si quis videre viſus fuerit ſe percuſſum à dęmone, vel abſeſſo: metum ac ſupplicium à principe rerum potiente, homineq; excelſo inueniet.

Si quis viſus ſibi fuerit percuſſiſſe dæmonem, vel obſeſſum, eosq; ſuperaſſe: ſciendum, non poſſe viſum hoc in pauperem cadere, ſed duntaxat in virum aliquem maximum. Is enim aduerſarium ſuum pedibus obteret, ac ſuperabit.

uiet,& ab eo diuitias conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit inebriatus aqua,per mendacium hominis opulenti ſpeciem præ ſe feret, deq́; poteſtate aliena gloriabitur.

DE TEMVLENTIA, PERSArum & Aegyptiorum rationes. CXII.

TEMVLENTIAM ad rationum facultatumq́; abundantiam referimus.

Si quis vino ſibi viſus fuerit inebriatus, magnam auri copiam adquirit.

Sin abſque vino fuerit inebriatus, acrẽ morbum inueniet.

Si quis inebriatus vino ſibi viſus fuerit, euomuiſſe, ab eo princeps extorquebit ac repoſcet,quidquid auri lucratus iniuſtè fuerit.

Si quis viſus ſibi fuerit ex ebrietate torminum dolores in inteſtinis ſentire,maximum lucrum conſequetur, & prodetur à ſuis domeſticis, inque metu verſabitur.

Si quis viſus ſibi fuerit inebriatus aqua, vel etiam abſque aqua temulentus ex ſobrio factus: ab eo, qui rerum in locis ijs potitur,inuitus in ordinem redigetur.

DE MACIE CORPORIS, SIue gracilitate, ex Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum diſciplinis.

CXIII.

INTERPRETATIO gracilitatis in corpore nihil habet boni, nec vlli hominis membro quidquam cōducibile portendit, excepta lingua muliebri.

Si quis ſe, quum carnoſus eſſet, tenue factum videre viſus fuerit: aduerſos quiſque caſus in profeſſione atq; opere ſuo experietur.

Si membrum vnum videre viſus fuerit graciliùs factum, pro membri attenuati ratione ſequetur euentus.

Caput enim, de principe ipſius intelligitur:

Collum, de ipſomet:

Humerorum clauiculæ, de cōcubinis:

Brachia, de fratribus & adgnatis proximis:

Scoptulæ & coſtæ, de legitimis vxoribus:

Venter, de familia & opibus:

Femora, de cognatis.

Quòd ſi rex eſt, qui attenuata ſibi femora videre viſus fuit, ad familiariſſimos ipſi ſeruos interpretatio refertur.

Ma-

Manus intelliguntur de ſeruo in primis familiari.

Sin pauper eſt, qui ſomnium de manibus habuit: ad vitam & victum ipſius referuntur.

Crurium pedumq; interpretatio, ſi rex eſt, vel gentis princeps, ad eum ſpectat, qui primus eſt inter arcanorum cōſcios:

Sin pauper, ad vitam ipſius.

Obeſitas ſiue carnoſitas apta cuiuſque membri, pro indicatarum perſonarum ratione, bonam interpretationē habet.

DE CRVRIBVS ET PEDIbus, *ex Indorum diſciplina.* CXIIII.

SI quis crura ſibi fracta, vel abſciſſum pedem videre viſus fuerit: ſi rex eſt, ab homine ſibi fideliſſimo, & arcanorū in primis conſcio ſeiungitur.

Si plebeius, dimidium vitæ ac victus amittet, & opibus atque lucro, quo potitus fuerat, priuabitur.

Si mulier, aliquem ex ſuis, quem diligit, aut ſeruum amittet.

Si quis ambos ſibi pedes abſciſſos videre viſus fuerit, ſi rex eſt, non diu viuet, & ante mortē familiares ac fidos amittet.

Si quis videre viſus fuerit crura pedéſque ſuos eiuſmodi morbo correptos, vt ambulare nequeat, quicunque fuerit, in profeſſione ſua quiſque præpedietur, de qua victum ſcilicet ſibi parat.

Si quis videre viſus fuerit abſciſſa ſibi crura & pedes, ſi opulentus eſt, aut optimatum quiſpiam, ſeruum ſuum amittet, & adflictus morietur.

Si pauper, breui extinguetur.

Inceſſus enim pedum pauperem alit, quum is, qui diues eſt, cũ dolore ac moleſtia quidem, ſed viuere tamen abſque pedibus, miniſterio ſeruorum vtendo, poſſit.

Si quis ſibi claudicare viſus fuerit, ac viciſſim reſtitui: ſi vir aliquis maximus eſt, obſtaculum à ſeruo primæ auctoritatis habebit: ac ſi quidem curatus fuerit, ſeruum ſuum caſtigabit & corriget.

Si plebeius eſt, in profeſſione atque operè ſuo quiſque fruſtrationem ſentiet.

DE NVDITATE EX INdorum diſciplina. CXVI.

SI quis viſus ſibi fuerit in loco quodam ſubitò denudatus, & quod ipſius par-

tes ſecretæ coram populo palàm adparuerint: eius arcana patefiẽt, & ipſe adficietur ignominia, grauiterq; vexabitur.

Sin priuatim totus denudatus fuit, ſciat ſe negotia quædam tractare: quæ cuicuimodi fuerint, ſiue bona, ſiue mala, perficiet.

Si quis ſibi viſus fuerit in templo domini denudatus, in oculis ſui principis omnibus ſpectaculo erit.

Si regi ſe viſum obtulerit, quaſi nudus à populo cõſpectus eſſet: arcanum quoddam ipſius ad populum reuelabitur.

Si mulier huiuſmodi ſomnium habuerit, ſpectaculo propter furtiuum concubitum omnibus erit.

Si ſeruus, mendicus fiet, eiusque fraus detegetur.

Si quis priuatim ſibi viſus fuerit denudatus, interim vel linteum geſtans, vel tibiale: ſollicitudine liberabitur, & ærumnis, quas patitur. Si ęger eſt, conualeſcet: ſi ære alieno grauatus, id ipſum diſſoluet.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, cum viro ſuo pugnabit & rixabitur.

DE NVDITATE, EX *Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.* CXVII.

SI quis viſus ſibi fuerit abieciſſe veſtes, & eſſe nudus, vt cum homine colluctetur: ſi quidem inimicitiæ cum illo intercedunt, & lædere hominem nititur: efficiet id, quod conatur: ſin amicitia cõiuncti ſunt, beneficus in illum alterum erit.

Si viſus ſibi fuerit nudatus ad lauandũ, exiguam in adflictionem incidet, pro ratione temporis, quo lauare viſus fuit.

Si quis viſus ſibi fuerit nudus amnem natatu tranſieciſſe, vel inceſſu, ad collũ vt vſque mergeretur: cum ampliſſimo viro, pro quantitate fluminis, colloquetur: ac ſi quidem fluuium tranſiecerit, ſuperabit eum, nec quidquam ab eo ſibi metuet: ſin autem, contrarium accidet.

Si mulier videre viſa fuerit ſeipſam priuatim nudatam in domo ſua: dolos viro ſtruet, inq; facinore depræhendetur.

DE AMPVTATIONE *capitis, Indorum & Perſarum rationes,* CXVIII.

ria: ſin autem, iniuriam perſonæ peregrinæ inferet.

Si quis videre viſus fuerit ſe, quũ pro fide martyriũ ſubiret, decollatũ eſſe: quicunque fuerit, maximam ad gloriam perueniet, & anima ipſius in altera vita ſalutem conſequetur.

DE AMPVTATIONE CAPItis, *ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.* CXIX.

SI quis alteri ſubditus, amputatum ſibi caput videre viſus fuerit, imperãtem ſibi dominum amittet, & indies ipſe lætícia maiore potietur.

Si quis amputatum ſibi caput videre viſus fuerit, ab homine potente beneficijs adficietur.

Sin viſus ſibi fuerit alteri armato caput amputaſſe, ſeruiet ampliſſimo viro, qui ab eo beneficium accipiet.

Si quis ſibi viſus fuerit ab anteriori parte gladio percuſſus ab homine noto, ſi ſanguis emanauerit, læſus à lędente magnum bonum cõſequetur: ſi nullus profluxit ſanguis, beneficium minus erit.

Si quis gladio viſus ſibi fuerit ad mortem

tem vulneratus, pro ictuum multitudine magnis ab alio beneficijs adficietur.

Si rex viſus ſibi fuerit alterum ferire gladio, per indignationem & iracundiã: pro impetus ſui modo, beneficijs hominem breui adficiet.

Rurſus ſi rex, aut alius quiſpiam, viſus ſibi fuerit erecto corpore ſerui gladio percuſſus, in ſeruitutem redigetur.

Si mulier viſa ſibi fuerit vel percuſſa gladio, vel inſtar pugnæ virilis percuſſiſſe: gloriam adſequetur, & marẽ pariet.

DE CÆDE AC IVGVLAtione, ex Indorum diſciplina.

CXX. *tione, ex Indorum diſciplina.*

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit hominem iugulaſſe, iniuria iugulatum adficiet. Quippe cædes hominis iure diuino minimè probatur, nec alijs eſt permiſſa legibus.

Si quis iugulatricẽ manum extendere viſus ſibi fuerit, res iniuſtas molietur.

Si quis hominem viſus ſibi fuerit interfeciſſe, de pulcherrimis & primis facultatibus ſuis ei benefaciet.

Conſimiliter ſi quis viſus ſibi fuerit alium contumelijs adfeciſſe, erga notatum

tum infamia beneficus erit.

In omnibus denique viſis inſomniorum, qui ab aliquo ſuperatur, à ſuperante beneficijs adficitur.

Si quis viſus ſibi fuerit inter luctādum proſtrauiſſe alium, ornabit in lucta victū & proſtratū. quippe ſuperato maior eſt.

Si quis ſibi viſus fuerit cędem patraſſe, vel interfectus ab alio: ruptum fuiſſe ventrem, & effluxiſſe inteſtina: rurſusq; ab alio eluta, & in ventrem ipſius repoſita: citò morietur, & ob loturæ purificationem ſaluus fiet.

DE CÆDE AC IVGVLAtione, *Perſarum & Aegyptiorum rationes.* CXXI.

SI quis ſibi viſus fuerit hominem iugulaſſe, iugulatus rationes illius, qui iugulauit, auferet: vel propter effuſionem ſanguinis, perdet.

Si quis viſus ſibi fuerit alterum baculo iugulaſſe, per alium quendam illi benefaciet. Nam virga ſiue baculus ad ampliſſimum virum refertur.

Si viſus ſibi fuerit hominem gladio interemiſſe, per mulierem ei benefaciet.

Si la-

DE NVTIBVS OCVLORVM, *& contractione nuptiarum, ex Indorum diſciplina.* CXXII.

SI quis viſus ſibi fuerit nutu adtraxiſſe alterum viciſſim adnuentem, propoſitum quoddam animi ſui perficiet.

Si quis innuiſſe mulieri viſus ſibi fuerit, ſi mulier adſenſa eſt, eo tempore lætitiam inueniet, pro ipſius mulieris formæ ratione: quæ ſi tetra fuerit, mærorem inueniet, propter eius deformitatem. Sin illa non eſt adſenſa, diuerſum ab eo, quod cupiebat, eueniet.

DE SPONSA.[a] . . . . .

SI quis ſe videre viſus fuerit amictum ornamentis ſponſæ, citò morietur: aut in cædem incidet, & interficietur. CXXIII. *a deeſt, Ex eorundem diſciplina.*

Si quis viſus ſibi fuerit mulieri copulatus, nouum inueniet gaudium, nouamque poteſtatem, pro modo formæ mulieris.

Similiter & adflictiones, pro ratione deformitatis illius.

Si quis ſibi viſus fuerit diuortio ſeparatus ab vxore ſua, poteſtatem ſuam amittet, ac vexabitur.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, admodum egenus erit, & fame vexabitur.

Mulier & vis, & poteſtas eſt viri.

Qualem igitur in ſomnis eam videre viſus fuerit, ſiue eleganter ornatam, ſiue cultus omnis expertam: tales & euentus ſequentur, nimirum inelegantiam calamitates, ornatum lęticia.

DE NVTIBVS, PERSARVM & Aegyptiorum interpretationes.

CXXIIII. SI quis viſus ſibi fuerit innuere homini noto, credet illi arcanum ſuum, & opes ſuas ipſius fidei committet: modò nutus ipſius ille rationem intellexerit.

Si ſeni cuidam ignoto innuit, isq; vim nutus intellexit: fortuna ſomniantis ad meliora tendet.

Sin noto ſeni, res in eiuſdem noti hominis perſona euentum ſortietur.

Si quis viſus ſibi fuerit innuiſſe mulieri egregiæ, atque illam adſenſam eſſe: de tempeſtiuis agrorum fructibus oblectationem percipiet.

Si rus nullum habet, ex profeſſione atque operis ſuis, læticiam & lucrum inueniet.

DE

DE REGE ET CRVCE,

ex Indorum diſciplina.

SI quis ſibi viſus fuerit portare crucem in templum, vel domum ſuam: ab excelſo quodam & ampliſſimo viro, ac fortaſſis ab ipſo rege, magna lætìcia beabitur, & ab hoſtibus victorias reportabit. CXXV.

Si quis ablatam ſibi crucem videre viſus fuerit, in adflictionem incidet, & ab hoſte ſuo redigetur in ſeruitutem.

Si crucem viſus ſit recuperâſſe, mœſticiam ſuam deponet.

Si quis inueniſſe venerabilia crucis ligna viſus ſibi fuerit, eorumque bonam partem nanctus, aut integram fortè crucem: regno potietur, & chriſtianiſſimus erit.

Si ea viſus ſibi fuerit in loco quodam noto veneratus, à rege lætìciam & opes conſequetur, ac iuſtus adpellabitur.

Si viſus ſibi fuerit ad eum locum mouere, quo in loco venerabilia ligna ſunt: ad ſupplicandum imperatori veniet, ac ſi quidem ex eo loco viſus ſibi fuerit ſaluus euaſiſſe, quodq; deſiderabat impetraſſe: locum preces ipſius habebunt.

Si rex viſus ſibi fuerit in ſinum mulieri crucem dediſſe, veritatē ad eam proferet, ac fortaſſe liberos ex ea ſuſcipiet. Nequit autem fieri, vt hoc imperatoris ſomnium de alia ſit, quàm de Auguſta.

Si quis in loco, quo in loco nulla crux erat, conſpectam recens crucem videre viſus fuerit: in eum locum non multo poſt caput & magiſtratus veniet. Ac ſi quidem ibi Chriſtiani fuerint, eiuſdem nationis princeps Chriſtianus eis imperabit.

Si quis regem vel reginam in domum ſuam veniſſe per quietem viderit, propterea quod rex amabilis eſt, & ab omnibus expetitur, ſi quidem ignotus rex eſt, hunc angelum domini eſſe cogitet: & quidquid aduerſi eſt eo loci, cum lætitia & ſalute commutabitur. quod ſi etiā bellum ibi viget, victoria ſequetur.

Si quis viſus ſibi fuerit cum rege noto colloquutus, ſiquidem verborum regis ad ſe prolatorū meminit: ea pro immutabiliter veris habeat, quandoquidem iſte rex ad perſonam regiam refertur, nec vnquam rex mendacium proferet.

Si

Si quis à rege donatiua viſus ſibi fuerit accipere, diuitias & ſalutem animæ conſequetur.

Si à rege aurum ſignatum accipere viſus ſibi fuerit, vel à rege, vel fide ſua vexationem inueniet.

Si rex aliquem ex priſcis regibus, deceſſoribus ſuis, aut alterius terræ principē, in ſomnis videre viſus fuerit: ad Chriſti perſonam id referat, & quidquid audierit ex eo, firmiter teneat. Ad bonum enim, quæ dicta ſunt, tendunt: quum malum à Chriſto proficiſci nequeat.

DE MVLIERIBVS, ET SV- *ctione mammillarum, Indorum rationes.* CXXVI.

SI quis videre ſibi viſus fuerit anum vetulam, ignotam: hęc anus fortuna eſt hominis. ac ſiquidem cum ea rem habuit, tantum felicitatis apiſcetur, quantum ab ea viſus eſt ſibi diligi.

Sin cum ea duntaxat eſt colloquutus, in omnibus negotijs eatenus deſideriū ſuum perficiet: quatenus mulieri carum ſe fuiſſe vidit.

Sin ea nota fuerit, ac deformis: pro modo complexum adfligetur.

Si nota, ſed elegans tamen: minor erit adflictio.

Itidem ſenex incognitus, ſi formoſus ſit: hominis eſt fortuna.

Senex notus, vel de illo ipſo noto, vel de ſimili, vel de aliquo eiuſdem nominis intelligitur.

Puella magni boni atque lætitiæ ſignificationem habet, pro venuſtatis ipſius ratione.

Si quis viſus ſibi fuerit cum puella verſatus, aut colloquutus, cui tecta facies eſſet: occultè lætitiam ac boni quid inueniet, vulgo rem ignorante.

Cõſimiliter in cęteris mulieribus, quas ad ꝓſperos caſus retulimus, vultus obuelatiões de gaudijs occultis intelligũtur.

Vt ſimpliciter deniq; rem declaremus, potioris interpretatio gaudij, quod per mulieres in ſomnis viſas portenditur, in ijs, quæ conſpiciuntur virgines, cõſiſtit.

Itidem ignota notæ præſtat.

Quin & formoſa per tincturam facta, ſolidiorem lætitiam portendit, quàm inornata.

Impudica quoq; meretrix mulieri notæ præ-

tæ præfertur, & quanto magis quiſpiam cum meritorijs mulierculis cõſueſcere ſibi per quietem videtur, tanto plus opũ adquiret, ſi mundanas res adpetit.

In religioſis autem perſonis, & ſolitudinarijs, huiuſmodi viſum vexationem portendit.

Si quis viſus ſibi fuerit habuiſſe rem cum ſcorto, diuitias ampliores adquiret, ſed per iniuriam.

Si quis videre viſus fuerit, alium quendam notum coëuntem cum vxore ſua: tam ipſe, quã vxor, & ipſius cognati, ab illo, qui cũ ea rem habere viſus eſt, opes & omnem auxilij copiam inuenient.

Si tantum videre viſus fuerit oſculatũ, vel colloquutum cum ea, non congreſſum: auxilium ab eo per verba duntaxat conſequetur.

Si qs formoſa cũ muliere coire ſibi viſus fuerit, illo ãno gaudiũ & opes inueniet.

Si fuerit ignota, plus inueniet.

Si quis in congreſſu cum muliere, viſus ſibi fuerit eam reperire viro ſimilem, in ſecretis naturæ partibus: illum annũ ſibi proſperũ ac lætum experietur, & marẽ

procreabit, qui familiam ſuam vniuerſam magis etiam nobilitabit.

Si quis viſus ſibi fuerit in coitu cum vxore ſua, vel concubina, veſtem geſtare ſordidam; ad condicionem deturbabitur humilem, & ab hoſtibus ſuis in ſeruitutem redigetur.

Si quis videre viſus fuerit vxorem ſuā, quæ prægnas eſſet, parientem maſculum: femillam edet, & is, qui ſomnium hoc habuit, adfligetur.

Si grauida non erat, & marem pepeiſſe viſa fuit: mœrorem & ærumnam magnam inueniet.

Si prægnas, edere femillam viſa eſt: marem pariet, ac lætabitur.

Si non prægnas, femillam viſa eſt parere: theſaurum, & opes, & gaudium inueniet.

Si quis videre viſus fuerit vel vxorem ſuam vel ſeipſum grauidum factum: nouas diuitias inueniet, ac lætabitur.

Si quis emiſſe viſus ſibi fuerit paruum mancipium maſculum, ſollicitudinem & adflictionem reperiet.

Sin mancipium feminei ſexus emit, læticia potietur. Si

Si quis viſus ſibi fuerit maſculi mammillas ſugere, vinctus in cuſtodiã conijcietur.

Sciendum eſt autem, adſpectiones mulierum, quę per quietem offeruntur, tam exiguarum, quam magnarum: gaudij ſignificationem habere, maioris aut exigui, pro venuſtatis earum modo.

Si puero in ſomnis oblatum fuerit, matrem ſuam eſſe mortuã: poteſtatem ille quidẽ adipiſcetur, at fidẽ illius amittet.

Si puer videre viſus fuerit matrem ſuã aſſata carne humana veſcentem: amplexibus illa ſe meretricijs oblectabit, eaq́; de re hominum ſermo frequẽs ad ipſum erit, propter aſſaturam.

Erit etiam res tota vera, quoniam ipſa reapſe veſci viſa fuit.

Si videre viſus fuerit matrẽ ſuam carne cruda veſcentem, dubio procul apertam illa ſcortationem exercebit.

DE MVLIERIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina. CXXVII.

SI quis viſus ſibi fuerit habuiſſe rem cũ anu, à principe quodam ſene poteſtatem conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit eam rogaſſe, vel indicaſſe tantùm, non etiam expleſſe deſiderium ſuum: laborabit in re, quæ fieri non poterit, nec ab ipſo perficietur.

Si quis viſus ſibi fuerit coiuiſſe cum eunucho noto, vel iuuene: ſecretum ſuum eis credet.

Si viſus ſibi fuerit cum perſonis indicatis compræhenſus, ſecretum ipſius publicabitur.

Si quis cum muliere formoſa cubuiſſe viſus ſibi fuerit, ſi fundum aliquem habet, multipliciter in eo ſemet oblectabit: ſi nullũ habet, pulchrę pariter & amplæ terræ dominium adquiret.

Si quis viſus ſibi fuerit coiuiſſe cum virgine, ſi rex eſt, voluptati votoq; ſuo primo ſatisfaciet.

Si plebeius, à magiſtratu diuitias cum formidine coniunctas conſequetur.

Si quis videre ſibi viſus fuerit mulierẽ benè veſtitã & formoſam in domo ſua, ſuam vel alienam, colludentem ſecum, & in lucta quaſi congredientem: ſi rex eſt, aut vir ampliſſimus, annum pro deſiderio ſuo ad omnia reſpondentem experietur.

Si

Si viſus ſibi fuerit eius pręhendiſſe mãmillam, & lac expreſſiſſe: magnam illo anno lætitiam conſequetur.

Itidem mulier ipſa maximè regij gaudij particeps erit.

Sin viſum illud plebeio fuerit oblatum, annuas quiſque diuitias in profeſſione ſua reperiet.

Si ſeruo, nõ multo poſt manumittitur.

Si pauperi, diteſcet.

Si quis cũ meretrice nota rem habuiſſe viſus ſibi fuerit, ſi rex eſt, lætitiam inueniet,& occultabit eam.

Si plebeius, & ipſe multiplici gaudio potietur,ac locuples fiet.

Si rex, aut optimatum quiſpiam, cum maritata muliere rem habuiſſe viſus ſibi fuerit: familiam ipſius extollet ac ditabit,& viri eius dignitatem euehet,prout diffuſa latè, diditaq; fama commiſtionis fuerit.

Si plebeius, ſimiliter familia mulieris gaudium ex eo capiet qui cum illa rem habuit.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, potiùs opera mulieris diteſcet.

Si quis videre viſus fuerit, mulierem ſuam, prægnatem factam, intumuiſſe: ſi rex eſt, auri ſui theſauros cum ſollicitudine implebit.

Si plebeius, in profeſſione ſua quiſq; mutationem experietur.

Si videre viſus fuerit imperator, Auguſtam ſuam peperiſſe ſubolem maſculam: hoſtile [a] mandatum ab inimicis accipiet.

a hoc eſt, nuntium.

Si plebeius, ſollicitudinem, & adflictionem, & morbum inueniet.

Si videre viſus fuerit imperator, Auguſtam ſuam peperiſſe femillam: peregrinorum regum theſauros conſequetur, & hoſtem ſuum proſtrabit.

Si viſus ſibi fuerit ipſemet imperator prægnas factus, incrementum ſumet exercitus eius, & alijs principatibus ac imperijs potietur.

Si viſus ſibi fuerit inſtar mulieris peperiſſe, vel marem, vel femillam: vnam ex rebus publicis ſuis amittet, maximúſque delebitur ab hoſtibus exercitus, & ipſe in adflictionem ac ſollicitudinem veniet.

Si ple-

Si plebeius quiſpiam ſomnium hoc habuerit, ac præterea, quod infantem lactet: ab eo qui rerum potitur, punietur & detrimentum accipiet.

Si quis viſus ſibi fuerit plurimas in domo ſua puellas recẽs conſequutus, ſi rex eſt, aut optimatum quiſpiam, opibus alienis atque lęticia totidem annis potietur, quot puellæ numero fuerint.

Si magna earum multitudo fuerit, menſes intelligentur.

Si viſum hoc plebeio fuerit oblatum, & quidem pręter morem: diuitias & ſollicitudinem inueniet.

Quæcunque per quietem impuberi fuerint oblata puero, viſa maſculi de perſona matris intelliguntur: femillæ, de patris perſona.

Si quis videre viſus fuerit vxorem ſuã in ſcortatione depræhenſam, morbis vxor vexabitur, & in odio apud maritum erit.

Si viſus fuerit notus eſſe, qui cum ea ſcortationem commiſit: obſecrabit hominem, & exaudietur.

Sin ignotus, hoſtis eſt, à quo in ſeruitutem redigetur.

Si videre quis viſus fuerit filiam ſuam, ſurreptã à noto quodam adultero, fraudulentè raptor è raptæ paternis opibus interuertet.

Sin adulter ignotus eſt, conſimiliter hoſtis eius de ipſius ſubſtantia ſurripiet.

Si quis viſus ſibi fuerit coiuiſſe cũ matre, vel ſorore: beneficijs indignum adficiet, eaque de cauſſa vituperabitur, ac ipſummet facti pœnitebit.

Si quis viſus ſibi fuerit emiſſe puellam, eamque ad conſortem vitæ ſuæ comparaſſe: ſi placuit, & ab eo diligi viſa eſt, alteram ille poteſtatem adquiret ad eam, quam priùs habuit.

Si quis viſus ſibi fuerit ornare vxorem, veſtitu facultates ſuas excedente: tam dignitatem, quàm profeſſionem ſuam ornabit ſua cum gloria.

Si viſus ſibi fuerit armillis aureis vxoris brachia circumdediſſe, acrem in vxore morbum & anguſtiam experietur.

Si quis viſus ſibi fuerit, caput mulieris aurea duntaxat corona cinxiſſe, maritus eius in adflictionem & mœrorẽ incidet. Etenim mulieris caput, maritus eſt.

Sin

Sin corona cum auro gemmas & vniones quoque continet, morbus modicus erit,ac deinceps gaudio fruetur,propter gemmas & vniones.

Si viſus fuerit anulis eam ornaſſe, deſiderium amborum ex voto ſuccedet.

Si mulier viſa ſibi fuerit amiſiſſe vel fregiſſe coronam ſuam,breui vidua fiet.

Si viſa ſibi fuerit anulos ſuos perdidiſſe, diuitias ſuas amittet, ac in paupertate morietur.

Si viſa ſibi fuerit perdidiſſe ſuas armillas,ex anguſtia perueniet ad læticiam.

Si quis viſus ſibi fuerit vxorem ſuam veſtibus rubris induiſſe, gaudium inuenient, ac marem procreabunt.

Si mulier viſa ſibi fuerit geſtaſſe ſtolam virilem, abſque calceis tamen: ſi prægnas eſt, marem pariet: ſi maritum habet, ſerui cauſſa præſtigijs eum circumueniet.

Si mulier videre viſa fuerit inaures ſibi recens à marito ſuo donatas, ſi prægnas eſt,fæmellam edet: ſi marito caret, ancillam ad oblectationem ſuam conſequetur.

Si

Si videre viſa fuerit inaurem ſuam fractam, vel filia, vel ancilla fidelis, morbo laborabit.

Si fiſſæ ruptæq; fuerint inaures, in adflictionẽ filiæ vel ancillæ cauſſa incidet.

DE NVPTIIS, EX *Indorum monumentis.*

CXXVIII. SI quis viſus ſibi fuerit adparaſſe prandium, cauſſa nuptiarum: in arcanis poteſtatis ſuæ quibuſdam adiutoribus vtetur.

Si quis eorum pocillator eſſe viſus ſibi fuerit, damno ab eis adficietur.

Si cymbala, citharas, & ludiones adhibuit: in adflictionem & lamentationem incidet.

Si cereos accenſos in cena protulit, poteſtatem inueniet, eamq; cum alijs communicabit.

Si cum cereis iucundas quoque cantilenas adhibuiſſe viſus ſibi fuerit, longæuus erit, & ex poteſtate ſua læticiam & oblectationem capiet, pro ſuauitate vocis in cantilenis adhibitæ.

DE NVPTIIS, PERSARVM

CXXIX. *& Aegyptiorum interpretationes.*

Si

SI quis viſus ſibi fuerit multos ad nuptias ſuas inuitaſſe, illum hominem multi ſequentur & comitabuntur, pro modo conſpectæ per quietem multitudinis, & ab eo beneficijs adficientur.

Si viſus fuerit ludicra ibidem & citharas habere, percipiet[a] mādata, de quibus adflictionem ſentiet.

a rerum nouarum nuntios accipiet.

Si viſus ſibi fuerit diuerſis eos vnguentis perfundere, pro modo ipſius fragrantiæ præclarā ad populum famā habebit.

Si viſus ſibi fuerit per ſuffitus optimis amicos odorib⁹ impleſſe, terribilia quædam edicta faciet, quæ pro ratione fragrantiæ vim obtinebunt.

Si viſus ſibi fuerit vina dulcia fragrantiaq; magna copia miſcuiſſe, de poteſtate ſua largietur eis, & locupletes faciet.

Si viſus ſibi fuerit coiuiſſe cum muliere, cuius cauſſa nuptiarum inſtituta ſollennitas: omne deſiderium votumque ſuum perficiet.

Sin cum ea cubuit ille quidem, at non coiuit: impedimenta quædam & moras in negotijs ſuis experietur.

CXXX. DE MORTVIS, ET MORTE, *& ſepultura, ex Indorum diſciplina.*

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit mortuus, ea mors de fidei damno intelligitur. præterea lōgū vitæ ſpatiū denotat.

Si viſus ſibi fuerit ſepultus, ſepulchrū ipſum ad plenam certitudinem interitus eius, nequaquam reſipiſcentis, ſpectat.

Si videre viſus fuerit defectum aliquem rerum ad ſepulturam pertinentium, & carminum funebrium: is defectus ad ſpem refertur.

Si quis olim mortuum videre viſus fuerit, quaſi qui reuixerit, ſeq; minimè mortuum, ſed viuere dicat, cum eius admiratione, cui ſomnium offertur: eam conſeſſionem fieri de corpore mortui iudicet, confirmatus ex ſacris litteris, quæ deum non eſſe deum mortuorum, ſed viuentium tradunt. Itaque mortuus ille, qui per quietem viuere cernitur, ſalutem adeptus eſt: at qui viuus adhuc, per quietem mortuus adſpicitur, ad interitum condemnatus eſt.

Si quis videre viſus fuerit eum, qui adhuc viuit, mortuum efferri, & in lectica depor-

deportari: ſciat illum fidem ſuam deſerturum, & in ea poteſtatis excelſitate futurum, vt populum ducat, & ſibi ſubijciat, pro modo multitudinis, quæ funeri efferendo interfuit. Spes tamen erit reſipiſcentiæ, propterea quod necdum ſepultus fuit.

Si quis viſus ſibi fuerit ſepulchrũ ſtruere, reſipiſcet: & alterius vitæ manſiones ſibi parabit.

Si quis ſibi minimè viſus fuerit mortuus, & ſepeliri tamen: ea res hunc hominem in vincula, cuſtodiam, & anguſtias coniectum iri portendit.

Si quis in cuſtodia detineri viſus ſibi fuerit, eo loco, quem non nouit: is adflictiones & anguſtias vitæ ſequuturæ iudicatur experturus.

Si quis viſus ſibi fuerit à mortuo rem aliquam mundanam accipere, bona mundana & acceſſionem diuitiarum conſequuturus iudicatur.

Si quis videre viſus fuerit mortuum ſecum colloquutum, deque fide præcepta tradentem: talis eſt interpretatio. Qui ſomnium habuit, in fide ſua gaudium in-

ueniet: quoniam qui mortuus eſt, illum alterum mundum reſpicit.

Si quis viſus ſibi fuerit mortuo dediſſe cibum, aut potum: portenditur eum valetudine debili futurum, qui dedit, & aurum ſuum amiſſurum.

Si mortuo veſtimenta noua dedit, quę nullus geſtauit: acri morbo laborabit, & opes ſuas deminuet.

Si mortuum ijs induit, quæ ipſe geſtabat: quicunque ſibi viſus eſt veſtes exuiſſe, citò morietur.

Sin voluit id quidem facere, ſed non fecit: moritur, non citò tamen.

Si viſus ſibi fuerit in eccleſia, vel alibi, à mortuo trahi: etiā ipſe tardè moritur.

Si mortuum viſus ſibi fuerit arceſſiuiſſe, qui & ſequutus ſit eum, & rurſus diſceſſerit: periculum homini à magiſtratu imminet, ac rurſus liberatur.

Si quis viſus ſibi fuerit inſiſtens mortui veſtigijs obambulare, omni modo mortui veſtigia ſequens, breui vitam finiet.

Si quis cum mortuo ſibi noto rem habere viſus fuerit, hæredibus eius benefaciet.

Sin

Sin cum ignoto, potentem & ampliſſimum quendam hoſtem obteret.

Si quis videre viſus fuerit mortuum coëuntem cum vxore, vel filia ſua: qui ſomnium hoc habuit, ab hæredibus defuncti gratiam & lucrum impetrabit.

Si quis videre viſus fuerit mortuum, qui reuixerit, dormientem: hic ſomnus ad æternam requietem atque ſalutem refertur.

Sin mortuum quendam deformem, aut ſqualentem, aut diſiectum, aut obſitum puluere, videre viſus fuerit: ea verò ad torturam & adflictionem mortui, etiam ante iudicis aduentum, ſpectant.

Si quis mortuum ægritudine laborantem videre viſus fuerit, cogitet illũ deo facinorum ſuorum rationem reddere.

Si mortuus dicere viſus fuerit, caput ſibi vehementer dolere: ſciat rationum diſcuſſionem ad caput mortui ſpectare, ad patrem putà, vel matrem, vel principem, quorum nomine torqueatur: quũ illi nimirum crediderint, ipſe cũcta flocciſecerit.

Si ceruix ei dolet, ſuæ ipſius animæ

debitique cauſſa punitur:

Si brachia, fratrum cauſſa torquetur:

Si manus, ſeruorum fidelium cauſſa:

Si humeri & coſtæ, vxorum cauſſa:

Si venter, liberorum cauſſa, & malè administratæ familiæ:

Si femora, cognatorum cauſſa:

Si crura & pedes, propter fideles ſeruos, & aurum ſuum.

Et hæc quidem horum eſt perpetua & certa interpretatio.

DE MORTVIS, ET MORte, *& ſepulchris, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.*

CXXXI.

SI quis ſe mortuum videre viſus fuerit, magno principi ſeruiet: ac diteſcet quidem, ſed non abſque inuidis oculis.

Si viſus ſibi fuerit ſepultus, tantas opes conſequetur, quantum ſibi viſus fuerit adgeſta terra coopertus.

Si videre viſus fuerit omnes in morbo de vita ipſius deſperantes, diuitias inueniet, ſed minores.

Si quis viſus fuerit vel ipſe ſibi reuixiſſe, vel quòd alius iam mortuus reuixerit: opes

opes quidem adſequetur, ſed poteſtatem amittet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, ex adflictionibus, & difficultatibus, & bellis eripitur, ac victorijs potitur.

Si plebeius, è ſeruitute principis extricabitur, atque diteſcet.

Si rex viſus ſibi fuerit mortuus, aut ab alijs de morte ſua nũtium accipere: gaudium cum vita diuturna conſequetur, ſed equi deminuentur.

Si quis videre viſus fuerit lectica ſe mortuum efferri, lecticæ interpretatio maximam ad perſonam pertinet.

Si humeris geſtatus fuit, in altum euehetur, & præterea longæuus erit.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, vitam beatam & opes ſperet.

Si quis parare ſibi viſus fuerit ſepulcrũ ſuum, etiam ipſe quæſtum faciet ac diteſcet in ijs, quæ in vita conſequi ſumma contentione nititur.

Si viſus ſibi fuerit adhuc viuus ſepeliri, quiſque in profeſſione ſtudioq; ſuo maximam & diuturnam quidem in ærumnam incidet.

Si quis viſus ſibi fuerit in cuſtodiam datus, ſi peregrinationem aut profectionem habet, iter facere deſinet: ſin autē, in omnibus quæ perquirit, impedietur.

Si quis à mortuo quid accepiſſe viſus ſibi fuerit, emolumentum à principe capiet, ſed interim cum aduerſa quoque valetudine conflictabitur.

Si quis mortuum periucundè ſecum colloquutum vidiſſe viſus fuerit, gratioſum ab eo reſponſum feret, qui rerum potitur.

Si rex viſus ſibi fuerit cum aliquo regum iam olim mortuorū colloquutus, aut eum comitatus: bello vexabitur ab hoſtibus ſtultis, ignotis: & exitum victorioſum inueniet.

Si quis ſibi viſus fuerit cum mortuo quodam noto colluctatus, vel præliatus: ſi mortuus vicit, à principe multabitur: ſin qui mortuus eſt, ab altero victus fuit, à metu principis ille liberatur, & corroborabitur.

Si rex viſus ſibi fuerit in mortuum direxiſſe telum, & feliciter iaculatus eſſe: ſuos aduerſus hoſtem ſtultum, ignotum able-

ablegabit, eumq́ue de medio tollet. ſin aberrauerit, contrarium accidet.

Si quis à mortuis aliquid viſus ſibi fuerit ſuſtuliſſe, pro modo inuentæ rei lucrum à principe conſequetur.

Si quis viſus ſibi fuerit mortuo dediſſe pallium ſuum, vel calceos: qui dedit, morte minorem ſeruum ſuum amittet.

Sin ei veſtem dedit interiorem vel ſubuculam: filia ipſius morietur.

Si tunicam ſiue diploidem dedit, vxorem ſuam, vel propinquam ſepeliet.

Si[a] cabadium, ſiue ſcaramangium dedit, breui morietur ipſius vxor.

Si[b] faceolium vel camylauchiū, ipſemet morietur.

Si tegentia partes ſecretas tibialia, liberi eius morientur: aut ſi liberos nullos habet, adgnati proximi.

Hæc interpretatio ad omnes vniuerſè, reges quoque, pertinet.

Si quis viſus ſibi fuerit humeris portaſſe mortuum, funeris ergo: ſi rex eſt, ab hoſtibus ſuis in ſeruitutem redigitur, & in regno ſuo indignum extollet.

Si plebeius, excelſis ſeruiet, eoſq́; comitabitur.

a cambadium, hoc eſt, humerale.

b τὸ τῆς κεφαλῆς φόρημα, *Suidas: faſciola, tegumētum capitis.*

Si quis viſus ſibi fuerit ex hominis mortui ſepulcro carnem, vel os aliquod ſuſtuliſſe: per cædem à principe fortunas alicuius impetrabit.

Si quis viſus ſibi fuerit viuus ſepulcro mortuorum incluſus, pro quantitate fœtoris à principe ſupplicijs adficietur.

Si quis ſibi viſus fuerit mortuus, ibidē mutabit fidem ſuam: & euchetur cum ijs, qui eum punient.

Si quis reuixiſſe viſus ſibi fuerit, quū eſſet mortu9: magna formidine liberatur, & in humili cōdiciōe ac loco verſabitur.

Si quis viſus ſibi fuerit cū mortua muliere veſtita rem habere, in ampliſſimæ mulieris amplexus veniet.

Si quis hæreditate mortui domum ad ſe deuolutam videre viſus fuerit, à principe læticiam & poteſtatem conſequetur.

Si quis mortui pilos ſuſtuliſſe viſus ſibi fuerit, ſi pauper eſt, opulentus fiet: ſi plebeius, & ipſe diteſcet: ſi rex eſt, exercitū & potentatum aliorum principum per vim adquiret, pro multitudine pilorū.

Si rex viſus ſibi fuerit portaſſe mortuū in regiā ſuam, virū quēdā ampliſſimum captiuum tenebit. Si

Si rex videre viſus fuerit quoſdam adferentes ſibi mortuum, hoſtilium nationum capita bello in poteſtatem rediget.

Si plebeio ſomnium fuerit oblatum, quaſi abſciſſum mortui caput ſuſtulerit: à principe cum metu collocupletabitur.

Si mulier ad ſepulchra veniſſe viſa ſibi fuerit, vel cum mortuo colloquuta: iſta de dolis, quibus erga maritum vtitur, accipiuntur. Si viro caret, per luxum & laſciuiam æuum exiget.

Deſunt capita duo, CXXXIIII

* * *

DE OSCVLIS, EX *Indorum diſciplina.*

SI quis viſus ſibi fuerit aliquem oſculatus amoris & adfectionis ergo, beneficijs alterũ, quem oſculatus eſt ex amore, adficiet. ſin coitus cauſſa, vice verſa qui oſculum dedit, alterius beneficentiam experietur.

Si quis viſus ſibi fuerit alterius collo fixiſſe oſculum, qui oſculatus eſt ei benefaciet, qui oſculum tulit.

Si brachio fixit oſculum, in fratrem vel ſeruum fidelem beneficus erit.

Eadem

Eadem in cæteris quoque membris eſt interpretatio, ſicuti iam antè declaratum eſt.

Similiter ſi quis viſus ſibi fuerit mortuum quendam notum hominem oſculatus: vel in animam defuncti, vel hæredes eius beneficus erit.

Sin ignotum, principi cuidam gratificabitur, & eidem ſeruiet qui oſculum dedit.

EX PERSARVM ET ÆGYptiorum diſciplina conſimiles interpretationes.

CXXXV. *ptiorum diſciplina conſimiles interpretationes.*

SI quis viſus ſibi fuerit hoſtem notum reconciliationis cauſſa deoſculatus, inimicitias cum eo maiores exercebit.

Sin hoſtis ille non erat, arcanum ſuum cum eo communicabit.

Si quis viſus ſibi fuerit oſculatus mortuum, quicunque tandem ſit, inde vſq; à rege ad alios inferiores: tantam inueniet ægritudinem, quantum in oſculando mortuum deſiderij ſenſit.

Si quis viſus ſibi fuerit iumentum oſculatus, in vita ſua lucris & bono potitur.

Si viſus eſt oſculari ſimiam, deprehendet

det hoſtem verſutum, non magnas habentem vires, fraudulentè quendam amorem erga ſe ſimulantem.

Si cognatum aliquem oſculatus eſt, beneficus in illum erit, pro modo declarati per quietem amoris, & oſculi.

DE VOMITIBVS, EX *Indorum diſciplina.*

SI quis inuitè, ſed citra moleſtiam tamen, vômere viſus ſibi fuerit: ſi rex eſt, reſcindet ab ſe decreta, pactaq; cum gentibus inita. CXXXVI.

Si plebeius, quiſque profeſſioni ſuæ aduerſa experietur.

Si quis ſponte ſua per quietem, & amarè vomit: ſi quidẽ perſona religioſa eſt, & quieti ſolitudinariæ dedita, de recta ad deum via deflectet.

Si plebeius, exigentur ab eo malè, quæ malè congeſſit.

Si quis viſus ſibi fuerit cibos duntaxat vomere, quos edit: ex malo & adflictione acerba non ſine ſumptu & impenſa euadet.

Si quis potu per quietem vomitum ciere velle viſus ſibi fuerit, nec tamen quid-

quidquam efficit: à principe ſupplicijs adficietur, in exactione pecuniarum vel rationum: nec tamen illas perdet, aut tradet: ſed diuinam potius mercedem accipiet.

CXXXVII
DE VOMITIBVS, PERSArum & Aegyptiorum traditiones.

SI quis aroma quoddam vomere viſus ſibi fuerit, in eius domo rixa propter opes excitabitur.

Nam quæcunque venter intra ſe claudit, diuitiæ domus ſunt.

Si quis ſanguinem vomere viſus ſibi fuerit, pro modo reiecti ſanguinis auro ſpoliabitur.

Si duntaxat aquam vomit, etiam hoc ipſum ad detrimentum auri refertur.

Si bilem vomit, morbo liberatur, cum impenſa tamen.

Si ſuccos vnà cum cibis, hoc itidem veteres de auri iactura interpretati ſunt.

CXXXVIII.
DE MVLIERE SACERdotis munere fungente.

QVÆDAM aliquãdo muliercula Sereimum interpretem ſomniorum con-

conueniens: Quid hoc quæſo rei eſt? inquit. Viſa ſum hac nocte mihi per quietē ſacerdotis inſtar preces pro populo concipere. Cui Sercimus: Quánam, ait, hora viſum hoc oblatū tibi fuit? Nona, inquit. Tum ille tres mēſes abituros reſpondit, ac deinde futurum, vt à coniuge ſuo ſeparata concipiat ex ſcortatione, ac pariat. quod quidem ita euenit.

DE PVRGANTE MEDICAMENTO, *ex Indorum diſciplina.* CXXXIX.

SI quis viſus ſibi fuerit propter morbū, quo laborabat, medicamentum ſumpſiſſe: fidem ſuam corriget.

Sin absque morbo ſumpſit, ad valetudinis hoc conſeruationem refertur, & exornationē patrimonij: pro ipſius medicamenti efficacitate.

Si quis viſus ſibi fuerit ſumpſiſſe medicamētum purgans, magnamq; ſordium copiam per anum egeſſiſſe: pro excrementorum quantitate ſuarum rerum ac rationum iacturam faciet.

Si nullum habuiſſe medicamentū hoc efficacitatem viſum fuerit, in malum co

actio-

actionis incidet, nec quidquam efficiet.

Si medicamentum purgans euomuiſſe viſus ſibi fuerit, à ſupplicio principis liberatur.

DE PVRGANTE MEDICAMENTO, *ex Perſarum & Aegyptiorum rationibus.*

CXL. SI quis purgationes ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, pecuniarum ſuarum iacturam per contentiones & rixas faciet.

Si rex eſt, ad proſternendos hoſtes theſauros ſuos exhauriet.

Quòd ſi morbi cauſſas depulit, hoſtem ſuum delebit: ſin autem, ab hoſtibus fœdè conſpurcabitur, & ex irritationibus acerba quæq; patietur.

Si mulier ſe purgaſſe per quietem viſa ſibi fuerit, inſidiabitur fœtui, quem vtero geſtat, & alium non pariet.

Si non eſt prægnas, impenſas faciet in artificia conceptiones impediētia, ſcortandi ſtudio: remq; pro voto conficiet.

Si quis purgaſſe viſus ſibi fuerit, & magnam è vētre copiam excreuiſſe, multa cum debilitatione ſui: ad egeſtatem redigetur, & morbis ęrumniſq; vexabitur.

Si

Si quis viſus ſibi fuerit ſumpſiſſe pharmacum letiferum, idque patefactum in corpore ſuo fuiſſe per puſtulas, & alia ſigna: quicũque tandem hic fuerit, ab hoſtibus ſuis deprimetur.

Si mulier pharmacum ſumpſiſſe viſa ſibi fuerit, omnesq; pilos inde defluxiſſe: pro modo deficientium pilorum ad egeſtatem redigetur. Si regi viſum hoc oblatum fuerit, hoſtem fraude perdet, pro modo pilorum cæſis ipſius copijs.

Si quis viſus ſibi fuerit ſumpſiſſe pharmacum, quo inſtar vtris inflatus fuerit: ab hoſte diuitias conſequetur, cum formidine principis, idq; ꝓ modo tumoris.

Si quis pharmacum ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, & vngues excidiſſe, cum ipſius inſigni macilentia: morbum & iratum principem experietur, ac quiſque debilior in ijs fiet, quibus alioqui valebat.

Si quis medicamentum ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, ad abigendum venenũ, quod efficacitatem habuerit: per interceſſionem ac deprecationem alterius, ex difficultate ſua liberatur: ſi non fuit efficax, diuerſus euentus erit.

DE POSSESSIONE TERræ ac ædificiorum, ex Indorum diſciplina.

CXLI.

SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit habuiſſe dominium terræ celebris admodum, & ſuis incluſæ limitibus: vxorem ſibi formoſam inueniet, prout ipſa terra viſa fuit eſſe bella.

Si videre viſus fuerit, terram illam minimè certis incluſam finibus, ſed amplã, & iccirco permeatu difficilem: pro ipſius amplitudine diuitias & oblectationem inueniet.

Quòd ſi etiam in terra certis incluſa finibus prata camposq; virides conſpexerit, hoc ipſum ad maius ornamentum & fidem mulieris ſpectat.

Si eadem in terra prædium conſitum hordeo viderit albo, & maturo: id de opib⁹ & recta valetudine interpretaberis.

Si frumento duntaxat conſitum, interpretationem pecuniarum habet, cum ſollicitudine ac deſiderio, idq; propterea, quòd frumentum per molam, & ignem, & alia tandem eò peruenire neceſſe ſit, vt panis inde conficiatur.

Si

Si conſitum leguminibus, de afflictione ac pœna intelligitur.

Si ſeſamo & milio, ſomnium hoc ineffabiles opes, cũ ſumma facilitate comparandi, ſummoq; gaudio, portendit.

Si ſtruxit in prædio domos, hoc de incremento diuitiarum, & bona adminiſtratione domeſtica intelligitur.

Si is, qui ſomnium hoc habuit, ex eorũ eſt numero, qui poſſeſſionibus carẽt, ac in ſolitudines ſecedunt: de opibus animi accipitur.

Si quis viſus ſibi fuerit ingreſſus terram ignotam, planam, amplam, & magnam: peregrè proficiſcetur, & ſine difficultate reuertetur, propter ipſam terræ planiciem.

Sin eam ſe terram fodere viſus ſibi fuerit, deque humo egeſta comedere: tantum ex peregrinatione quæſtus faciet, quantum ediſſe viſus fuit.

Si videre viſus fuerit in ea terra foueã, in quã ipſe ceciderit, mox tenebris obrutus: in latrones incidet, ac morietur.

Si videre viſus fuerit foueam non omnino tenebroſam, reuertetur.

Similiter & de fouea ſtatuendum,quę ſimpliciter non eſt in ampla ſpatioſaque regione.nam hîc ruina furum ac prędonum incurſus, & adflictiones,pro modo & quantitate foueæ, portendit.

Si quis inueniendi putei cauſſa fodere viſus ſibi fuerit in terra ſua, ſi quidem nullam reperit aquam,alijs dolos ſtruet, & interim ipſemet adfligetur.

Sin aquæ ſatis inuenit, ſi rex eſt, auri theſaurum inueniet, pro modo ipſius aquæ: atque etiam hæres ei naſcetur.

Si plebeius aliquis huiuſmodi ſomniũ habuit, beata vita gaudioque potietur, prout aqua pellucida fuerit.

Si viſus ſibi fuerit ſoli puteum occluſiſſe,ſolus emolumentum percipiet.

Sin vſum eius & alijs cõceſſit, ad ipſius quoq; propinquos emolumentum perueniet.

Conſimiliter ędificia noua ſpectant ad incrementa diuitiarum.

Si quis ſoli ſibi viſus fuerit ædificare, ſibimet ipſi ſuas opes amplificat.

Sin & aliorum in vſum, alijs quoq; diuitiæ ipſius proderunt.

Si quis domum ſuam videre viſus fuerit ampliorem factam & maiorem, opes & gaudium mundanum ei portenduntur.

Sin is, qui ſomnium hoc habuit, ſolitudinarius eſt: de diuitijs animi accipitur.

Similiter & ab his diuerſa in ædificijs, in vtrisque perſonis diuerſos quoq; ſortientur euentus.

Si quis videre viſus fuerit ianuas & limina domus ſuę recẽs aperta, hoc ipſum de diuortio cum mundo, & exitu animę ſiue naturali, ſiue p̃ter naturã, accipitur.

Ac ſi quidem apertio ianuarum & portarum ad partes domus interiores tẽdit, interitus generis ipſius portenditur:

Sin ad exteriora, ſpectat interpretatio ſomnij, tum ad ipſius, tum ad domeſticorum nullo ſanguinis vinculo coniunctorum interitum.

Si quis videre viſus fuerit terram ſecũ colloquutam, quantum ſanè prodigium & miraculum eſt, terram loqui: tantum admirationis apud omnes excitabitur ob ea bona & opes, quibus ille potietur.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, longæuus erit, & abſque bello cum admira-

tione cæſis hoſtibus ſuis, eorum regionem adquiret.

Si quis excitatus recordetur, ea verba, quæ terra protulit, de rebus eſſe mundanis: quod ijs ſignificatum eſt gaudium, eueniet.

Sin terræ verbis peccata coarguebantur, ad ea dubio procul interpretatio referenda erit. Deum quidem ille metuat, & à ſceleratis ſuis factis ſeſe conuertat.

Si verborum non meminit, indicatum animi corporisq́; gaudium minus erit.

Si quis viſus ſibi fuerit poſſediſſe terram planam & latam, in cuius medio collis excelſus ſitus eſſet: eius interpretatio collis ad virum eminētem ſpectat, pro ipſius collis excelſitate.

Quæ circum hunc collem ſunt, de copia prouentuum intelliguntur.

Qui ſomnium habuit, aut hominem illum excelſum, cum facultatibus eius, in poteſtatem rediget: aut eminentem virum comitabitur, & cum eo viuet, & beneficentiam ipſius experietur, tantum eius præſidio munitus, & in omnibus

bus ei parens, quanto colli viſus eſſe fuerit propior.

Si viſus ſibi fuerit ad latus collis habitaſſe, cùm quidem is in ipſius eſſet dominio: adiunget illi ſe viro eminenti, & ab eo protegetur, tantum eius præſidio munitus, quanto propiùs à colle abfuit.

Si videre viſus fuerit terram ſuam dimidia parte deminutam, ſi rex eſt, dimidia pars imperij eius ab hoſtibus occupabitur, & ipſe citò morietur.

Si plebeius, ad inopiam redigetur, & citò vitam finiet.

Si terram parte quadam deminutam videre viſus fuerit, quicunque tandem fuerit, in anguſtiam, & adflictionem, & vitam miſeram incidet.

Si quis autem hoc videre viſus fuerit in alterius ſibi noti domini terra, calamitas ad eius dominum ſpectat.

Sin ignoti, de ſeipſo ſomniũ intelligat.

Si quis terram ſuam ſciſſam videre viſus fuerit latiorem factam, ſi quidem rex eſt, longæuus erit, & hoſtium ſuorum terra potietur. Sin plebeius, & opes ipſius, & negotiatio duplicabitur.

Si pars terræ duplicata fuit, eadem erit & proſperitatis ipſius ratio.

EX PERSARVM ET ÆGYPTIORUM *diſciplina rationes conſimiles.*

CXLII. SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit recẽs dominio terræ nemoralis, ſaltuoſæ, opacæ, & irriguę potitus: ſi rex eſt, regiones, & homines, & familias, & opes eorum in poteſtatem rediget. ac regionibus quidem, hominibusq́; potietur, propter arbores: familijs, propter nemorum denſitatem: opibus, propter aquam.

Sin plebeius eſt, vel pauper: opes à principe conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit abundaſſe terra glabra, plana, opulenta: ſi rex eſt, ſolitudines oppidis exornabit & excolet.

Si viſus ſibi fuerit in ea venari, voluptatẽ ex deductis ab ſe colonijs percipiet, prout ipſa venatio ſucceſſerit.

Si plebeius eſt, in profeſſione ſua quiſque ſumet incrementum.

Si quis viſus ſibi fuerit terram ſuã frumento conſeuiſſe, monſtratamq́; fuiſſe pulchram ſegetem: opum in expectatione poſitarũ ſollicitudine ſe macerabit.

Si

Si hordeum fuerit, in promptu diuitias inueniet. Nam hordeum paſtus eſt brutorum animalium.

Si legumina, ex diuitiarum expectatione adflictiones inueniet.

Si videre viſus fuerit, ex omnibus hiſce ſemētem parum proſperè ſucceſſiſſe: propter ipſam fruſtrationem adflictione ſua liberatur.

Si terram ſuam fodere viſus ſibi fuerit, deq; humo egeſta comedere: diuitias otioſas & inutiles adquirit, idq; ꝓpterea, quod humus egeſta comedi nequeat.

Si viſus ſibi fuerit poſſidere terram voraginoſam, accliuem, decliuem: ſi rex eſt, inconſtantis & duplicis animi nationem, à ſuis longè remotam, in poteſtatem rediget.

Si cum accipitre viſus ſibi fuerit in eiuſmodi terra feciſſe aucupium, ſi quidem res proſperè ceſſit: miſſis copijs cōfeſtim eos in poteſtatem rediget, ac proſternet, propter accipitris pernicitatem.

Sin voto ſuo fruſtratus eſt, vanum laborem impendet.

Si cui plebeio viſum hoc oblatum fue-

rit, in profeſſione quiſq; ſua difficultatē experietur, nec opes ex ea conſequetur.

Si quis in terra puteum fodiſſe viſus ſibi fuerit, & aquam bellam inueniſſe: peruenuſtam vxorem inueniet, è qua liberos elegantes ſuſcipiet, propter aquæ puritatem: itemq; diuitias, pro ipſius aquæ copia.

Si viſus ſibi fuerit ædificia ſtruxiſſe in terra ſua, ſi rex eſt, breui regionem illorum hominum inhabitabit, de quibus voluptatem capiet, pro ædificiorum pulchritudine.

Si plebeius, tam genus, quā opes ipſius incrementum ſument.

Si quis viſus ſibi fuerit ædificium opere latericio ſumptuoſo ſtruxiſſe, conſimilem habebit euentum: niſi quod interueniat vis & coactio, propter materiam igne coctam.

Sin ædificiū latericij partim operis eſt, partim lignei: tam opes ipſæ, quam viri, iucundiores erunt, idq; ratione lignorū.

Si videre viſus fuerit terram ſecum loquutam, ſi rex eſt, nūtium lætitiæ plenū præter expectationē accipiet, pro modo collo-

colloquij, quod terra cum eo habuit.

Si plebeius eſt, in profeſſione quiſque ſua profectum ſentiet.

Si rex viſus ſibi fuerit in terra ſua recẽs colles ſiue tũbas ordine collocaſſe, pro modo magnitudinis & multitudinis earũ, denuò mittit optimates, qui terrã in poteſtatem redigant. atq; hoc ſomnium regi duntaxat, & magnati offertur, nec in aliam perſonam cadit.

Si rex videre viſus fuerit quoſdam ingreſſos montes ſuos ligna cædere, ſi quidem hoc bona cũ ipſius pace fit, vnum ex ſuis volens amittet: ſin aũt, per ipſius hoſtes interibunt.

Si videre viſus fuerit inextincto montes ſuos igne combuſtos, cum vento vehemente: hoſtili bello populus ipſius ſegetis inſtar excinditur.

Sin abſq; vento, cædes minor erit. atq; hoc ipſum quoque regi, vel alicui procerũ duntaxat offertur. Nam ſi maximè vſuueniat, vt alius quiſpiam huiuſmodi ſomnium habeat: tamen ad perſonam regis, vel optimatis alicuius interpretatio pertinet.

Quòd

Quòd ſi paſſus eſt aliquid vel à fumo, vel ab igne: caſus hoc aduerſi ſignificationem habet.

Si terram ſuam deminutam videre viſus fuerit, poteſtas eius deminuitur, & in profeſſione quiſque ſua detrimentum capiet.

Sin videre viſus fuerit terram ſuam, vel domum dilatatam, maioremq́; factam: tantundem & poteſtas, & opes ipſius augeſcent.

CXLIII. DE VISO CVIVSdam nocturno.

QVIDAM ex Mammunę proceribus per quietem huiuſmodi ſomnium habuit. Viſus ſum, inquit, ſtare in campo ſpatioſo & plano, qui quidem ab initio gramine denſo abūdabat: ſed poſtea nudus & glaber factus eſt. Ad iſta ſomniorum interpres reſpondens: Hoc, ait, diffidentiam & inconſtantiam animi ſignificat in eo, cui ſomniū oblatum fuit. Huic iudicio in iſta perſona res ipſa reſpondit.

CXLIIII. DE TERRÆ MOTV, EX *Indorū, Perſarū, & Aegyptiorum diſciplina.*

SI quis in ſomnis videre viſus fuerit terræ motum, qui quodam in loco acciderit: edictum regis nouum portēditur, quod terrore ſit impleturum & quaſſaturum animos incolarum.

Quòd ſi terræ motus vbique eſt, generale regis edictum erit: ſin particularis, edictum quoque particulare promulgabitur.

Si videre viſus fuerit domum ſuam tantummodo motam, à rege, vel eo qui rerū potitur, edictū in domo ſua recipiet.

Si videre viſus fuerit poſt terræ motū ſequutam ruinam ianuæ, vel tignū fuiſſe ruptum, vel concidiſſe parietem, quo domus clauditur: edicto regis iracundia declaratur.

Ac ianuæ quidem ruina portendit ruinam eorū, qui propius à natura patremfamilias adtingunt.

Ruptura tignorum, ruinam hominum in domo præcipuorum.

Parietis ruina, caſum ipſius patrisfamilias denotat.

Si quis videre viſus fuerit ſolum palatium motu terræ quaſſatum, eius terræ

motus

motus interpretatio regis mortem ſpectat, vel filij regis, vel filiæ, vel coniugis, vel cognati: vel propinquis regijs acutas ægritudines portendit.

Si rex ipſe videre viſus fuerit quaſſatã terræ motu ipſius vrbem, aut regionem, aut palatium: hoc non ad eorum, quos diximus, obitum refertur: ſed ad bellum à nationibus imminens, & formidinem ipſius, vel ad inſidias ei ſtructas, & inimicorum eius detectionem.

Si regi per quietem oblatum fuerit, quaſi terræ motu corruerit ipſius palatium, vel thronus: breui morietur.

Si ruina, ceu dictum eſt, nulla in terræ motu acciderit: fama terroris hoſtilis erit.

Si de palatij ſecretis ædificijs vnum corruerit, in quo tamen nec thronus, nec ædes regia ſit: ad hominem regi familiarem ruina ſpectabit, ex hoſtili metu.

Si quis videre viſus fuerit locum quendam terræ motu demerſum, qui locus aut valde planus ſit, aut montuoſus: bonis viris à rege periculum impendet.

Nam

Nam planicies eam ſignificationem habet. Mons autem, virum eminentem ac opulentum denotat, prout ipſe mons altus fuerit.

Si cui ſomnium fuerit oblatum, quaſi terræ motu ciuitas demerſa ſit: ſi quidem nota eſt, calamitas ei cum interitu per famem imminet, aut cædem, aut iram regis.

Sin eſt ignota, peribit infeſta regi natio.

DE ÆDIFICIIS, EX *Indorum diſciplina.* CXLV.

SI quis viſus ſibi fuerit ingreſſus domũ ignotam, ibique vidiſſe locum, terram, incolas ignotos: aut notos quidem illos, ſed antè defunctos: ſciat domum illam de altero mundo intelligi, atque hominem, cui ſomnium hoc obuenerit, citò vitam finiturum.

Si viſus ſibi fuerit eodem die tum ingreſſus, tum egreſſus: reſipiſcet, deque manſionibus alterius vitæ ſollicitus erit, & ſalutem adipiſcetur.

Sin & domus, & ædificium, & locus, & humus, nota ſunt: gaudiũ mũdanum, & mo-

& moles opum, pro cōdicionis ipſorum ædificiorum ratione, portenditur.

Quòd ſi ædificium factum eſt ex argilla, materie latericia, & tignis: qui ſomnium habuit, & opes, & læticiam absque peccato conſequetur.

Sin ex marmore, vel ſaxis: longa vita fruetur, & erunt ipſius opes inexpugnabiles.

Sin ex latere ſumptuoſo conſtat ædificium, etiam hic læticiam gloriamq; reperiet: at cum labore, propter materiam igne coctam.

CXLVI. INTERROGATIO

de ſomnio.

MVLIER quædam Sereimum ſomniorum interpretē hoc modo conſuluit. Videre viſa ſum, inquit, ex poſtibus valuarum domus meæ illam, quæ ſuperior eſt, in inferiorem delapſam: ianuarumq; duarum vnam intrò, exteriùs alteram cecidiſſe. Tum ille viciſſim mulierem interrogare, maritúmne ac liberos haberet. Illa ſe habere faſſa, ſed adijciente, maritū abeſſe peregrè cum filio, filiam ſecum degere: Sereimus in hanc ſenten-

ſententiam reſpondit. Quoniam exterius vna ianua cecidit, altera intro: maritus tuus cum ea de poſtibus, quæ ſuperior eſt, cum filio ſcilicet, ac filij ſponſa, breui ad te reuertetur: idque propterea, quod intro ruina facta ſit. Filia verò tua viro copulabitur, & peregrè diſcedet. Vti Sereimus interpretatus fuerat, ita res euenit.

DE MIGRATIONIBVS, *Indorum rationes.*

SI quis viſus ſibi fuerit ex ædibus ſuis in alteras migraſſe, ſi quidem alteræ pulchriores ſunt, maiorem ad gloriam atq; læticiam perueniet. CXLVII.

Quòd ſi ærumna quadam & morbo vexabatur, ea cum gaudio bonaq; valetudine commutabuntur.

Sin venit in ædes deteriores & arctiores, ex gaudio in adflictionem, & egeſtatem, & anguſtiam incidet.

Si migrare viſus ſibi fuerit, & ignorare tamen, quo ſeſe cōferat: hoc ad mortem eius, & migrationem ad alterum mundum refertur.

Si videre quis viſus fuerit ædificia ſua

dilatata maioraq; facta, cum luminis am pliore copia: ſi rex eſt, lęticiam inueniet & regione largiore potietur.

Si plebeius, quiſque profectum in ſtudio profeſſioneq; ſua experietur.

Si videre viſus fuerit collapſum ædificij parietem, vel ſolarium, vel fornicem, aut tignum fractum, aut clauis nudatam ianuam, aut combuſtam: hæc omnia de ruina patrisfamilias, aut cognatorum eius, accipiuntur.

Itidem ruina tignorum, ad viros: ianuarum & parietum, ad mulieres refertur.

CXLVIII. DE ÆDIFICIIS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina.

SI quis viſus ſibi fuerit ingreſſus domũ peregrinam, ignotam, in qua vir illuſtris ſit: ſi rex eſt, gaudium inueniet, ac tantum admirationis merebitur, quantum ipſa merentur ædificia.

Si plebeius quiſpiam ſomnium habuerit, quaſi ædificia quædam ei ſortè obuenerint: & opes, & vxorem formoſiſſimam inueniet, pro ratione pulchritudinis ipſorum ædificiorum.

Si viſus ſibi fuerit rex ingreſſus vrbem nouam,

nouam, quam antea nunquam viderit, & in ea conſpexiſſe magnifica & ſpecioſa ædificia, quæ ipſi perplacuerint, vrbē denique ipſius in poteſtate fuiſſe: magnū conſequetur gaudium, & cum mulierū venuſtiſſima voluptatem capiet.

Sin minimè viſa fuerit vrbs ipſi⁹ regno & imperio ſubiecta eſſe, quadam ex natione gaudium percipiet: ſed cum muliere peregrina ſemet oblectabit, idque propterea, quod vrbs peregrina ſit.

Si rex viſus ſibi fuerit imperaſſe, noua vti ſtruatur ad habitationem ipſius regia: ſi quidem ædificium regiæ fuit abſolutum, ſobolem maſculum, quę ipſi ſuccedet, procreabit.

Si iactura regię fundamenta videre viſus fuerit, ea res ad Auguſtæ conceptionem pertinet.

Si videre viſus fuerit collapſum palatij parietem, Auguſtæ moritur.

Si quis viſus ſibi fuerit reliquiſſe domū ſuam, vt alias in ędes migraret: ſi quidem illæ poſteriores fuerint pulchriores, votum animi ſui perficiet: ſin deteriores, contrarium accidet.

Si rex viſus ſibi fuerit imperaſſe, vt ſacrorum templorum columnę altius ducerētur, ſtatimq́; factū, vt altiores eſſent: regni ſui proceres honoribus euehet.

Si pro vetuſtis nouas ſubſtituiſſe colūnas viſus ſibi fuerit, homines quoſdam nouos in loca magnatum veterum extollet.

Si rex viſus ſibi fuerit imperaſſe, vt ędes ſacra ſublimius adtolleretur, & ornaretúr: ea res ipſius regno lætitiam ſublimē & ornamentum portendit.

Similiter ſi alij quoq; per quietem oblatum fuerit, quaſi templum altius adtolleretur, & exornaretur: regis ad perſonā, ceu dictū eſt, interpretatio pertinet.

Si quis videre viſus fuerit, princeps alicuius loci templum collapſum, vel inflammatum: perſonæ regis ex morte calamitas imminet.

Si tale quid inferiori templo acciderit, & viſum regi fuerit oblatum, aut alij: regis adflictionem portendit.

Nam omnia templa regis ad perſonā, vel eius, qui rerum in eo loco potitur, interpretando referimus.

Orna-

Ornatus etiam,ruinaq́; templorum,ad eundem ſpectat.

DE VISIS PER QVIEtem ſacerdotibus.

SI quis in ſomnis videre viſus fuerit, ſacerdotem ornatū habitu ſuo quēdam in locum veniſſe, quo loco mos nullus erat,ſacerdos vt ingrederetur: id ſomnium de incolarū eius loci metu & adflictione, à principe profecta, intelligitur. CXLVIIII

Conſimiliter ſi princeps viſus ſibi fuerit præter morem in locum quendam veniſſe: hoc ad formidinem & adflictionē incolarum refertur,minorem tamen.

Si quis videre viſus fuerit ingreſſum ad ſe ſacerdotem, qui ſuo in lectulo cubuerit: is amicitiam cum illo ſacerdote contrahet, ac per fraudem ſacerdos vxorem eius, qui ſomnium habuit,inibit.quinetiam hæres ipſius erit.

Si quis videre viſus ſibi fuerit ſacerdotem quendam mortuum, hoc ipſo portenditur, ſacerdotem illum fidem ſuam amiſſurum,

Si ſacerdotem ægrotantem videre ſibi videatur, morbum fidei ſacerdotis in-

telligat, eiusq; patefactionem, & vitam longam, & ſanitatem.

Si quis videre viſus fuerit caput ſacerdotis maius factum, poteſtas eius in incolas maior euadet.

Sin facies ſacerdotis maior fieri viſa fuit, in rationibus & fortunis ſacerdotis poteſtas atque terror intelligatur.

Si ceruicem eius craſſam robuſtamq; factam videre videatur, in ſacrificijs ſuis potens erit.

Si manus lōgas & robuſtas nanctus ſit, etiam ſeruos adiutores, eosq; valentes ſacerdos conſequetur.

Si videre viſus fuerit ſacerdotem nanctum ventrem ampliſſimum, is ſacerdos familiam & opes magnas inueniet, & cognatorū ſuorum cōgregationem.

Si pedes eius craſſiores facti fuerint, aut ſolidiores & firmiores: etiam hoc modo conſequetur aurum, & amicos auxiliatores, & ſeruos.

Sin his contraria videre viſus fuerit, ſimiliter in deterius res ceſſuras intelligat.

Si videre viſus fuerit ſacerdotem, qui cum plebeijs verſetur: ſacerdos ille co-

ram Deo ſe quidem humiliabit, ſed nihilo minus in fide ſua firmus erit.

Si quis videre viſus fuerit ſacerdotem caliginoſo quodam in loco ambulãtem, ſic ſomnium intelligat, vt illum in obſcuris latebris aduerſus deũ peccare ſtatuat.

Sin ambulauerit in pleno luminis & virente loco, Deo ſacerdos in luce placet, ac rectè ſe gerit.

Si quis viſus ſibi fuerit, quum laicus eſſet, in ſacerdotem electus: ſi regius eſt, honorem à rege maximum & principẽ conſequetur.

Si plebeius, aut pauper, ampliſſimum virum comitabitur, & apud eum tum honorem, tum gratiam inueniet.

Si quis viſus ſibi fuerit, quum laicus eſſet, electus in diaconum: etiam hic gratiam & honorem inueniet, honore tamen ſacerdotis inferiorem.

Si quis viſus ſibi fuerit electus, ſed electionẽ repudiaſſe: poteſtatẽ & gratiã inueniet, quã citò ꝑdet, ac periclitabitur.

Si ſacerdos viſus ſibi fuerit amiſiſſe ſtolam ſacerdotalem, ab alio per fraudem circumuenietur.

Quòd ſi viſus ſibi fuerit eam rurſus inueniſſe, non ſine magna coactione ſupplicioq; corrigetur.

DE SACRIS IMAGINIBVS, *ex Indorum diſciplina.*

CL. SI quis in ſomnis videre viſus fuerit cōſpectum ſibi dominum Deumq; noſtrum Ieſum Chriſtum,(tale verò viſum puris duntaxat hominibus,& ſanctis,aut fideliſſimis plerunque regibus offertur, aut homini ſupra modum facinoroſo, quo conuertatur)eumque ſecum colloquutum:indiſcriminatim eius colloquij verba teneat,quæcunq; tandem fuerint.

Sin cum eo nihil eſt colloquutus,ſi rex eſt, & lęticia, & vniuerſalibus aduerſus hoſtes victorijs potietur.

Si purus quiſpiam,& ſanctus,& religioſus:ſtabilitas,& gloria, & incrementum profectus ac lęticiæ diuinis in rebus ei portenditur.

Sin is, qui ſomnium habuit, ſupra modum peccatis obnoxius eſt: cōuertetur, & reſipiſcendo vitam finiet.

Hanc rationem rex quoque teſtimonio ſuo comprobat, à cuius ira ſi homini pericu-

periculum immineat, ac viſus per quietem rex fuerit illum arceſſere, atque intueri: delicta ei, quæcunque commiſit, omnia condonat.

Nimirũ peccator ille, de quo diximus, per adſpectũ domini ſalutẽ cõſequetur.

Conſimiliter ſi quis ex illis, quos nominauimus, aliquem Apoſtolum, vel Prophetam, vel ſanctum videre viſus fuerit ſecum colloquentem: ſi rex eſt, citra dubitationem colloquij verba teneat.

Si nihil eſt proloquutus, ſed tantum adſpexit: minorem ea læticiam inueniet, quæ de intuitu domini ſperatur.

Si plebeius quiſpiã eſt, tam in fide ſua, quam opere quiſque proficiet. quamobrem & imagines eorum exprimimus.

Si quis imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi viſus ſibi fuerit adoraſſe, vel complexus eſſe, vel obſecraſſe: ſi rex eſt, & ipſe victorias de hoſtibus reportabit, & in gloria ſua læticiam inueniet & propterea, quod crux, & adfixus ei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, maximas victorias, & omnis ærumnæ mutationem portendat.

Quòd ſi ſolam imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, abſque cruce, videre viſus ſibi fuerit: gaudium minus ſignificatur, itidemq; minor victoria.

Si quis plebeius huiuſmodi ſomnium habuerit, læticiam minorem inueniet, quam votis exoptabat.

Si quis imagines Apoſtolorũ, vel Prophetarum, vel ſanctorum, videre viſus ſibi fuerit: ſi rex eſt, ampliſſimæ victoriæ nuntium accipiet, quæ tamen victoriæ famæ non reſpondebit. Non enim ipſos, ſed imaginem vidit. propterea minor erit victoria.

Si plebeius eſt, in operibus ſuis gratiã & profectum inueniet.

Si quis videre viſus fuerit columnas ſecum colloquutas, & verborũ colloquij meminerit: ea quoquo finem & effectũ plerunque ſortiuntur.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, aduerſus hoſtes gaudio victoriaq; potietur tanta cum admiratione, quantũ prodigij putatur eſſe, colũnã cũ aliquo colloqui.

Si plebeio, cõſimiliter is, qui ſomnium habuit, cum admiratione ac prodigioſè diteſcet.

Quaſ-

Quaſcunque per quietem columnas homo videre viſus fuerit, vel inauratas, vel non inauratas: in ijs, quæ auro carēt, proſperior euentus ſignificatur.

Nam auratæ ſæpius adflictionem portendunt, propter aurum.

Si quis imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt imagines ſanctorum conficerētur: ſi rex eſt, facinus & modum aliquem adgrediundi hoſtes inſtituet: ac ſi quidem imaginum forma voto reſponderit accuratè, conatus etiam hominis proſperè cadent: ſin autem, pro ratione factæ imaginis euentus quoque ſimilis ſequetur.

Itidem quiſque plebeius in opere ſuo talem experietur exitum, qualis in imaginum confectione ſucceſſus fuerit.

DE ARBORIBVS ET *plantis, ex Perſarum, Indorum, & Aegyptiorum diſciplina.* CLI.

MVLTIPLEX & varia natura eſt arboreorum fructuum.

Folia quidem arborum ad hominum adfectionem referuntur.

Nam virentia plenaq; folia, rectitudinem animi ſignificant.

Imbe-

Imbecillia, fœtida, & marcida, debiles animi mores pordendunt.

Similiter fructus fidem & opes ſignificant, ac pleræque arbores ad fidem & diuinam gratiarũ actionem referuntur.

Quemadmodum fructus, folia, ſtipites, radices arborum, tam nutrimentum, quàm incrementum ex aquæ terræque pinguitudine recipiunt: ſic omnis quoque virtutis perfectionem fides in Deum conſeruat.

Trunci de radicibus profecta firmitas, ad precationem refertur.

Folia ſtipitis, ad liberos, & hominum inſtituta.

Si quis ergo viſus ſibi fuerit & irrigare arbores, & excolere; vir ampliſſimus, & populi nutricius erit.

Si quis videre viſus fuerit arbores enatas in mari, & ſaxo, vel alijs locis, in quibus fieri nequit vt arbores naſcantur: plurimos homines peregrinos & inſolitos prodire de locis illis cogitet, pro ratione multitudinis arborum.

Ac enatæ quidem in mari arbores, cuicumque per quietem oblatæ fuerint, de perſona

perſona regis accipiantur: hoſpites nimirum inſolitos ad eum venire.

In ſaxo, & alibi natæ, vbi natura non permittit arbores naſci: portendunt ibi virum quendam peregrinum & ignotum emerſurum, qui poteſtatem vſurpaturus ſit, nec tamen animi ſui votum perfecturus.

Si quis videre viſus fuerit in domo ſua, vbi nulla erat arbor, enatam arborem: breui quidam iſtic emerſurus eſt. ac ſi quidem arbor eſt fructifera, de cognatis exiſtet: ſin fructus expers, de peregrinis.

Si quis videre viſus fuerit enatã in domo ſua vitem humilem, vel arbuſtiuam vitem: ſi cœlebs eſt, vxorem ducet, totidemq́; liberos ex ea ſuſcipiet, quot vuas in vite conſpexit: ſi nullas vidit, tamen ita ſperet.

Si quis viſus ſibi fuerit arbores plantaſſe, ſed interim ignorare, num germinauerint: adflictionem & ſollicitudinem inueniet, pro ipſarum arborum ratione.

Si rex ſomnium hoc habuerit, nouos magiſtratus inſtituet. ac ſi quidem arbores germinauerint, oblectationẽ ex eis

capiet:

capiet: ſin autem, contrarium accidet.

Similiter ſi quis viſus ſibi fuerit defodiſſe vel ſeuiſſe oſſea putamina fructuũ, qui putamina dura ferunt: ſollicitudines & curas inueniet.

Si quis videre viſus fuerit arborem in domo ſua, (quod quidem ſomnium nequit in hominem condicionis humilis & inopem cadere, ſed proceribus ampliſſimisq; viris duntaxat competit) ſciat cupreſſum ad reginæ perſonam referri, propter eius arboris elegantiam, & fragrantiam, quodq; nec marceſcat, nec amittat folia.

Similiter & palma de regina intelligitur, ꝓpterea quod arbor ea pulchrè floreat, dulcem fructum ferat, acutis prædita ſit foliis, & ea non amittat. ideoq; regina læticiam ſperet, ac perſonarum, de quibus dictum eſt, aduentum.

Si regi ſomnium tale fuerit oblatum, de arboribus hiſce per quietem in regia ſua conſpectis: ſi Auguſtam nõ habet, accipiet: ſin habet, voluptatem ex ea percipiet, ac liberos procreabit, pro ratione ſurculorũ cupreſſi, & proceritatis, quin & vita longa fruetur. Con-

Conſimilis reſpondebit euentus, cõſpecta per quietem palma. Nam & prócreabit liberos, & oblectationẽ capiet, pro modo palmularum, & ramorum ipſius arboris. Idem hoc etiam de Auguſta, imperatoris matre, licet interpretari, propter ramos: & de imperatoris ſorore, ſi ramis arbor careat.

Si quis viſus ſibi fuerit habere punicã arborem, ſi fructus arboris dulcis erat, hominem locupletem inueniet, eiusq; gaudiorum particeps erit.

Sin acidus, durum in hominem incidet, à quo adfligetur, pro modo & multitudine fructuum.

Si quis habere quercũ viſus ſibi fuerit, & ſub ea cõſediſſe: animi duplicis & incõſtantẽ in hominẽ incidet, eumq; ſanè potẽtem: cuius gaudiorũ particeps erit, cũ labore ac moleſtia tamen, propterea quod glandes minimè ſint eſculentæ.

Sin videre viſus fuerit nucem arborẽ, ſub qua homo quiſpiam conſidens vmbram captauerit: ſeruum arcani tenacem conſequetur, propter oſſeam putaminum fructus illius duritiem, deq; illo læticiam percipiet. Hæc

Hæc eadem omnia ſi mulieri per quietem oblata fuerint, ſi maritum non habet, accipiet: ſin habet, amorē illius præ ſe feret, ſtupri liberius exercendi cauſſa.

Si quis viſus ſibi fuerit habere pomum arborem, vxorē nobilem inueniet, prout ipſe pomi fructus nobilis fuerit.

Si fructus acidus eſt, malè cũ ea viuet.

Sin iuſtæ magnitudinis, & dulcis, & fragrans: feliciter ac beatè cum ea viuet.

Si quis intra ſeptum horti veniſſe viſus ſibi fuerit, deq́; fructibus arborum ſumpſiſſe, apud ampliſſimos viros deget.

Quòd ſi fructus acidus eſt, vnà cũ ipſis adfligetur: ſin autem, diuerſum eueniet.

Si rex viſus ſibi fuerit acceſſiſſe ad loca omnis generis arboribus conſita, palmis inquam, & citris, & cupreſſis: ſi palmæ fructũ decerpſit, è nobili muliere ſubolem ſuſcipiet: ſi citrium ſumpſit, oblectationem ex prole capiet, prout ipſum malum citrium fragrans fuerit.

Sin aliarum arborum fructus nulla cũ difficultate decerpſit, ſi quidem maturi erant, in proceres ſuos ſponte ſua beneficus erit.

Sin

Sin immaturi, ſuccenſebit eis.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt arbores ſeptorum ſuorum radicitus euellerentur: quoſdam à ſe homines expellet, pro ipſarum arborum multitudine.

Si arbores diuturnitate temporis vitiatæ ac putrefactæ corruerunt, naturali morte proceres ipſius morientur.

Si videre viſus fuerit virgulta, quæ in arbores excreuerint: hoc ad ſucceſſionem magnatum ipſius pertinet.

Si arborum folia viſus ſibi fuerit in regiam collegiſſe, de magnatibus ſuis aurum inferet, prout ipſa foliorum multitudo fuerit.

Si plebeius quiſpiam tale ſomnium habuerit, opes à magnatibus pro foliorum modo conſequetur.

Si quis viſus ſibi fuerit habere myrtum arborem, homini quidē nobili, ſed pauperi ſemet adiunget: propter ipſius arboris fragrantiam: & gaudiorum eius particeps erit.

Si quis nouas adquiſiuiſſe vineas viſus ſibi fuerit, opes & poteſtatem inueniet, ratione vini.

Si quis in vineis viſus ſibi fuerit ex parte vindemiam feciſſe, legitimos liberos adipiſcetur.

Quòd ſi maturæ ſunt vuæ, commodis paternis liberi ſeruient: ſin autem, contrarium accidet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, in cõcubinis ſuis oblectationem inueniet: ac fortaſſe quãdam ex eis Auguſtam declarabit, ob ipſius vini vim.

Si pauper hoc ſomnium habuerit, propter vinum & læticiam & poteſtatem inueniet.

Omnes arbores fructiferæ pro ratione qualitateq; ſui fructus interpretationem habent. Qui fructus acidi ſunt, & adſtringentes, malum: qui dulces & iucundiſſimi, bonum portendunt.

DE EQVIS, EX INdorum diſciplina.

CLII. EQVORVM interpretatio diuerſas ad perſonas pertinet.

Si quis viſus ſibi fuerit inſidens equæ compoſite per locum quendam tranſiiſſe, ipſamet equa ſponte ſua obſecundante pro ratione ipſius equi, & obedientiæ modo,

modo, dignitatem cum ampliſſima fama reperiet.

Si quis viſus ſibi fuerit equo vectus, habente magnam, denſam, longamq; caudam: poteſtatis ſuæ comites & pediſequos inueniet, pro caudæ pilorū & multitudinis & longitudinis ratione.

Si caudas caudarum, vel plures caudas habebat: maior pediſequorum & comitum numerus fiet.

Si videre viſus fuerit eundem illum equum vel curta, vel rara cauda præditū: ſollicitudinem & poteſtatis ſuæ defectū inueniet, prout pili caudæ defecerint.

Si videre viſus fuerit equo, cui inſidebat, habenti denſam longamq; caudam, fortè caudam pręciſam: ſi quidem is, qui ſomnium habuit, & liber eſt, & populi princeps: breui tam libertatem, quā principatum amittet. Si quis viſus ſibi fuerit equo generoſo quidem vehi, ſed claudicāti: quilibet in iis, quæ enixe molitur, ærumnā & obſtaculum inueniet.

Si videre viſus fuerit equū generoſum, qui & contumax ſit, & ob oris duritiem intractabilis: graue peccatum admittet,

 & plu-

& plurimum adfligetur, prout equus ipſe durus fuerit.

Si nudus & absque ſtragulis hic equus erat, maior acceſſio malorum indicatorum portenditur.

Si viſus fuerit equus hic alienus eſſe, noti tamen hominis: & gloriam inueniet, & gaudium ſperet.

Si quis videre viſus fuerit equum perelegantem domum aliquam ingreſſum, vel prædium, vel regionem, qui equus & ignotus ſit, & nudus, & infrenis: eò princeps maximus veniet, pro equi ratione ac modo.

Quòd ſi equus idem albis naribus & fronte cõſpicuus fuerit, omnes quatuor pedes ferramentis munitos habens: etiã maior poteſtas magnatis illius erit.

DE GENEROSIS EQVIS,

CLIII. *Perſarum & Aegyptiorum rationes.*

SI quis equo generoſo inſidere viſus ſibi fuerit, qui & inſtratus ſit, & frenum acceperit: vxore nobili ac venuſtiſſima potietur, modò per quietem viſus ſit equus peculiariter ipſius eſſe.

Sin alienus, læticiam poteſtatemq; mu-

lieris

lieris alienæ opera conſequetur.

Si vir aliquis ampliſſimus, aut rex, viſus ſibi fuerit quoſdam ex equis ſuis inſtratos ornatosq; baſilicè cuidam ſponte ſua donaſſe: quandam ex muliercu-lis, quas habet, ei concedet.

Sin eo inuito, vel ignorante, equum illius conſcendit alius: is ipſe cum muliercularum eius aliqua ſtupri conſuetudinem habebit, & depræhendetur.

Si viſus ſibi fuerit acriter & directò equum egiſſe, atq; in collem perueniſſe, ipſomet equo morigerante: magnam tũ lætitiam, tum obedientiam, in populo & potentatu ſuo reperiet: prout equus & celeriter & directò cucurrit.

DE VISO QVODAM *nocturno interrogatio.* CLIIII.

QVIDAM ex Mammunę Protoſymbuli proceribus Sereimum adijt, & hiſce verbis conſuluit. Videre per quietem viſus ſum rufi coloris equam, qua vnius ad milliarij ſpatium ipſe vehebar, & illa me viciſſim vehebatur. Cui Sereimus: Qua, inquit, hora ſomnium hoc habuiſti? Sub ipſum, reſpondit alter, precũ

diluculi tempus, ſiue ſub crepuſculum. Tum ille: Quoniam, ait, iter vnius milliarij cum ea confeciſti, menſis hic nõ præteribit, quin tu in prælio, per tumultum militarem excitato, ſis periturus. Itaque tumultũ ab Arabibus excitato, iugulatus eſt ante menſis illius exitum is, cui ſomnium hoc oblatum fuerat.

CLV. DE PILA.

SI quis in equo viſus fuerit vnà cum rege, vel ampliſſimo quodam viro, pilã impellere: & gaudium, & gloriam ab eis impetrabit, prout ipſe pilam feliciter impulerit, & equus directo cucurrerit.

Si genus hoc ludi rex viſus ſibi fuerit exercuiſſe, rectum proſperumq; regni ſui ſtatum inueniet, prout feliciter pilã impulerit: ſin aũt, contrariũ portẽditur.

Si alius regem ludentem videre viſus fuerit, conſimiliter & ipſe particeps interitus ipſius erit.

Si rex in hoc ludicro videre viſus fuerit equum ſuum impingentem, ſi cecidit, acri cum morbo conflictabitur, & adfligetur in regno ſuo: ſin autem, minor erit ærumna.

Sellæ

Sellæ regum equeſtres ad perſonas vxorum regiarum interpretando referũtur, & ad ipſum regnum.

Plebeiorum equi, ſi quis miles ſit, ad arma & proſperitatem ipſius ſpectant:

Si paganus, ad eius ordinis hominum profeſſionem.

Equi Auguſtæ, ad ipſius dignitatem extra controuerſiam referuntur.

DE ARMIS, PERSARVM, *Indorum, & Aegyptiorum rationes.* CLVI.

ARMA ſecuritatem ab hoſtibus, & hominum rei bellicæ peritorũ profeſſionem denotant.

Si quis integra munitus armatura viſus ſibi fuerit in equo exijſſe, ſi populi princeps eſt, hoſtem ſuum maxima clade adficiet, famoſamq; gloriam armis belli reperiet.

Si plebeius, aut pauper eſt: ſi quidem arma ferrea ſunt, diteſcet ac proficiet in profeſſione quiſque ſua.

Si quis videre viſus fuerit populum armatum, ſibi cognitum, ad bellum paratum & inſtructum: eius loci homines & læticiam maximã, & victorias inueniẽt.

Si populus incognitus fuerit, ſi vir amplisſimus eſt, qui ſomnium habuit, futurum ſtatuat, vt ab hoſtib⁹ ſuis adfligatur. Nam ignotæ facies ad hoſtium perſonas pertinent.

Si quis in medio populi viſus ſibi fuerit haſta exerceri, famam atque gloriam inueniet, pro eius in ipſo exercitio dexteritate.

Si videre viſus fuerit haſtam ſuam fractam, deminuta eſt ipſius gloria, & morte vel neceſſariũ, vel amicũ ſuũ amittet.

Si quis viſus ſibi fuerit induiſſe, vel reperiſſe thoracem, ſiue loricam: de hoſtium ſuorum interitu voluptatem percipiet, ac diteſcet, prout ipſe thorax ponderoſus fuerit.

Si quis viſus ſibi fuerit induiſſe clibaniũ ſimplex, in profeſſione quiſque ſua reperiet anguſtiam: ſin multiplex & multifidum, pro ſegmẽtorum varietate diuitias & ſecuritatem ab hoſtibus inueniet.

Si quis viſus ſibi fuerit geſtare galeam, robur ac firmitatem in capite, quod ipſi præeſt, inueniet.

Sin eas, quas manicas vocant, & tibialia:

lia:gaudium & ſtabilitatem in ſeruis ſuis conſequetur.

Si gladium vel inueniſſe, vel tenere viſus ſibi fuerit: quoddã læticiæ lumen inueniet, quod gladij ſplẽdori reſpõdebit.

Hoc ipſum quoque ſecundùm Perſarum interpretationem de muliere cum prole accipitur.

Si quis gladium fractum videre viſus fuerit, mater mortem obibit, & filius ſuperſtes erit.

Si mulier viſa ſibi fuerit ſumpſiſſe gladium, vel cultrum, vel tela: ſi prægnas eſt, marem pariet.

Si ſumpſit arcum, ſecundùm interpretationem Ægyptiorum mulier aut filia ſignificatur.

Si rex arma geſtare viſus ſibi fuerit, vnà cum vniuerſo exercitu ſuo, quæ quidem res ipſi perplacuerit: oblectationẽ de ſuis capiet, qui & clade nationem extraneam adficient.

Sin ipſe non geſtabat arma, ſuos tamen armatos videre videbatur, quod erat ei volupe: nuntium prælij deſideratum accipiet.

Sin eos inermes videre videbatur, ipſi ſibi metum & trepidationem ab hoſtibus imminere cogitet.

CLVII. DE VESTIBVS, EX *Indorum diſciplina.*

INTERPRETATIO veſtiũ multiplex eſt, pro earum diſcrimine atq; colorib.

a Humerale, ſiue veſtem, quæ humeris inijcitur.

Si quis viſus ſibi fuerit geſtare[a] cambã, quod ſcaramangium ſericum vocãt, pro modo pulchritudinis eius, & artis, poteſtatem ac dignitatem inueniet.

Si quis hoc veſtis genus laneum videre viſus fuerit, ab improbis hominibus opes conſequetur, ꝓpterea, quod huiuſmodi veſtis per tonſuram ex lana cõſtat.

Si viſus ſibi fuerit ſumpſiſſe peplum ſiue ſabanum, pro ratione pulchritudinis & ſpiſſitudinis eius vxorem inueniet.

Si diploidem nouam ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, nouam vxorem inueniet.

Ac ſi quidem ea ruſſata fuerit, plena delectationis mulier erit.

Si alba formoſa & elegans erit.

Si coloris citrini, & morbis erit obnoxia, & erga maritum acerba.

Si praſini, quod res diuiñas adtinet, fidelis erit. Si

Si veneti, diues erit, & halitu graui fœtebit.

Si nigri denique, in ærumnam ex ſcortatione incidet.

Si quis videre viſus fuerit horum aliquid ereptum vi, vel concrematum: vxorem ſuam amittet.

Sin ablatum furto, vel nuſquam adparens: ærumnam in vxore ſua duntaxat experietur, idq́; propterea, quod ſæpenumero viciſſim his modis amiſſa reperiantur.

Subucula de quouis ſtatu domus accipitur, itidemq́ue tegumentum ſecretarum hominis partium, ſiue tibiale, de concubina, vel vxore.

Si quis induiſſe viſus ſibi fuerit ſubuculam ſolito tenuiorem, deminutionem opum experietur.

Si quis videre viſus fuerit tibiale ſuum factum capacius, in vxore ſua voluptatem & læticiam inueniet.

Si mulier induiſſe tibiale viſa ſibi fuerit, aut amictum virilem, abſque pallio bifido: hæc omnia, ſi prægnas eſt, fœtum maſculum portendunt.

Sin

Sin pallium bifidum induit, de filia ſomnium intelligitur.

Si quis habitum apoſtolicum geſtare viſus ſibi fuerit, hoc de fide ipſius interpretamur.

Ac ſi quidem habitus albus eſt, tantundem in ipſius fide puritatis erit.

Sin ſordidus, & ipſe impurus eſt.

Cōſimili ratione, proq́; colorum, quos diximus, interpretatione, regia quoque chlamys ad maieſtatem & coniugem regis refertur.

Si rex videre viſus fuerit chlamydem ſuam vel ruptam, vel ſordidatam: adflictionē in regno ſuo, & in Auguſta morbum inueniet.

Sin videre viſus fuerit chlamydem ſuā ſplendidiorem factam, pro ipſius chlamydis elegantia læticiam tum in perſona propria, tum coniugis inueniet.

Si viſus ſibi fuerit alteram nāctus chlamydem nouam, ſi nullam vxorem habet, matrimonium contrahet, ac filium procreabit: ſin habet vxorem, maſculum ita quoque procreabit, & oblectationem ex eo capiet.

Quæ-

Quæcunque veſtimenta quis per quietem facta tenuiora videre viſus fuerit, eorum ad infirmitatem & inopiam ſpectat interpretatio.

Hęc enim diſciplina de ſomniorum interpretatione, quidquid ſpiſſum eſt, ac necdum interpollatum, & recēs, potius omnino ducit.

Quæcunque veſtes, quarum ad fidem interp̃tatio pertinet, ſordidatæ per quietem viſæ fuerint: ad fidei ſordes ſpectāt.

Itidem quæcunque mundanas ad res relatæ, ſordibus inquinatæ viſæ fuerint: afflictionem mundanam ſignificāt, pro modo ſordium.

Omnis etiam carnis & capillorum immundities, ad ærumnam ſordibus reſpondentem ſpectat.

Quaſcūque veſtes albas geſtare viſus ſibi fuerit homo, tam in fide ſua, quàm mundo læticiam gloriamque reperiet: adeoq; toti mundo in oculis erit.

Rubri coloris pallia gaudiū vehementius ſignificant, ac plerunq; mulierculis.

Si quis prȩter decorum geſtare viſus ſibi fuerit habitum apoſtolicum rubri coloris,

loris, vel tibiale, vel ſtragulam veſtem: gaudio gloriaq́; mundana potietur, cum dedecore tamen, & rixa inter amicos graui, pro ipſarum veſtium rubedine.

Citrius color in omni veſte morbum ſignificat, pro ratione tincturæ, ceu dictum eſt.

Quodlibet veſtimentum pro ſpecie ipſius interpretationem habet.

Praſinus color, in perſona qualibet, ad fidem bonam refertur: & in eo, qui per quietem viſus fuit eſſe mortuus, quum viuat: ad corpus ſpectat

DE VESTIMENTIS, PERSArum & Aegyptiorum rationes.

CLVIII. INTERPRETATIO veſtimentorum, ad honorem & gloriam pertinet, exceptis illis, quæ varij coloris ſunt, & regia purpura.

Si quis diuerſa geſtare veſtimenta, vel diuerſi, vel vnius coloris, viſus ſibi fuerit: metum & pœnam à rege, vel principe loci domino inueniet.

Conſimilis & eadem erit interpretatio, moderatioris tamen mali: ſi viſus ſibi fuerit geſtare veſtem vnam inſolitam, quæ

plures

plures colores habuerit:adeoque rixam inter amicos experietur.

Omnes veſtes denſiores, & nouæ, & necdum interpolatæ: meliora quædam plebeijs hominibus portendunt.

Nam quæ ſubtiles ſunt,& tenues,& aẽreæ:regi atque magnatibus competunt.

Si rex viſus ſibi fuerit geſtare veſtes ſpiſſiores & craſſiores, quales plebeio conueniunt: afflictionem & ſollicitudinem inueniet.

Si rex viſus ſibi fuerit donaſſe cuidam ex proceribus ſuis, vel eundem induiſſe veſtibus proprijs: ſi purpurea veſtis erat, maiorem ei gloriam poteſtatemque tribuet,& arcana ſua credet. (dabit.

Sin alia veſtis, pro eius ratione minora

Similiter ſi viſus ſibi rex fuerit veſtem ſimpliciter alicui donaſſe, non aliquam ex ſuis, quas ipſe geſtat: ditabit hominẽ, & ei coram populo largietur.

Si mulier hoc à rege cõſequuta fuerit, vel ipſam rex amore complectetur, vel aliquam de cognatis illius.

Similiter ſi plebeius quiſpiam viſus ſibi fuerit veſtem à rege cõſequutus, eadem erit interpretatio.

Si

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt nõ-ua tinctura purpuræ fieret: præclarè ratiocinando de ſtatuendis aduerſus hoſtes tropæis diſpiciet.

Ac ſiquidem ei proſperè tinctura ceſſerit, tropæa felici fine perficiet: ſin autem, contrarius euentus erit.

Si rex videre viſus fuerit, edicto ſuo ſenatum vniuerſum rubris ſecum veſtibus amictum: & largus erit, & exhilarabit omnes.

Si rex videre viſus fuerit populum ſuũ geſtantem veſtimenta citrij vel nigri coloris, ęrumnam ſibi ex morbo, & exitum vitæ imminere ſtatuat.

Si veneti coloris, ad ipſius quidem hoc opes refertur, ſed iniuſtè per indignationem adquiſitas.

Si quis veſtes ſuas ſordibus inquinatas videre viſus fuerit, peregrè tanto ſpatio tẽporis aberit, & in expeditionibus verſabitur: quantæ ſordes ipſæ fuerint.

Quòd ſi expeditio ſuſcepta videatur ad conferenda cum gentibus prælia, caſus homini aduerſus accidet.

Conſimilis & in negotiationibus euentus erit.

Si

Si quis veſtes quaſdam ſuas amiſiſſe viſus ſibi fuerit, hoc ad ærumnam referat, prout ipſæ veſtes pretioſæ fuerint.

Similiter & putrefactio, & ruptura, & vetuſtas veſtium, dedecus atq; pauperta tem ei portendit, qui ſomnium habuit.

Si quis nouum pelliceum geſtare viſus ſibi fuerit, ſi quidem hyems erat, à magnate quodam opes adipiſcetur, pro ratione denſitatis pilorum.

Sin æſtas erat, & nimium ſibi viſus fuit incaluiſſe: diuitias & ipſe, cum labore tamen ac indignatione conſequetur.

Si rex viſus ſibi fuerit induiſſe pelliceũ de vulpibus, aut feris: maiores ab hoſtibus opes cum tropæis extorquebit.

Sin de ouibus, prouentus ipſius incrementum ſumet, pro lanarum copia.

Si rex viſus ſibi fuerit induiſſe pelliceũ vetus & ruptum, ea res egeſtatem ac defectum auri regij portendit.

Si quis plebeius viſus ſibi fuerit induiſſe pelliceum vulpinum, per aſtutias diteſcet.

DE IGNE, EX INdorum explicatione. CLIX.

IGNIS interpretatio multas ad perſonas refertur.

Si quis videre viſus fuerit aliquem locum, vel prædium, vel domũ per ignem flammæ conflagrantem penitus: earum ædium dominus, & locorum incolæ, vel bello, vel acuto morbo peribunt.

Quòd ſi flamma carebat ignis, nec omnia comburebat, ſed aliquam partem: minor ex parte calamitas erit.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, aut principi populi alicuius: ad rempublicã & populum caſus aduerſus referatur.

Si quis igne veſtes ſuas exuſſiſſe viſus ſibi fuerit, interitus illis perſonis imminet, quas ſuprà indicauimus: referendo veſtimẽtum quodlibet ad eas perſonas, quas interpretando recenſuimus.

Conſimiliter ſi homo videre viſus fuerit vſtum aliquod membrum ſuum, calamitas ad perſonas membris ipſis ſignificatas pertinebit, vt interpretati ea ſuprà ſumus.

Si quis viſus ſibi fuerit inſtar cibi carbones ignis, carentes fumo & flamma, decerpere: aurũ pupillare lucrabitur, pro ignis deuorati ratione. *Si*

Si quis viſus ſibi fuerit inueniſſe, vel habuiſſe, vel cuſtodiuiſſe carbones ignis, tam flammæ, quàm fumi expertes: pro modo carbonum, aurum conſequetur.

Si quis viſus ſibi fuerit flamma quidem correptus, ſed non aduſtus: pro inflammationis modo à quodam, qui negotiũ ei faceſſet, accuſabitur.

Sin vſtus à flamma fuit, à principe rerũ iſtic potiente multabitur, aut in hoſtili prælio occumbet, aut in acrem tumeſcentis inguinis, aliúmue morbũ incidet.

Si per ignem flamma carẽtem aduſtus fuit, auri exactione multabitur.

Si viſus ſibi fuerit ſuſtuliſſe cinerem ſiue lixiuiũ, mendax & calumniator erit.

Si à furni flamma correptus fuit, aut læſus à teſto ignis: ab aliquo magnate, populi nutricio, multabitur.

Si quis ignem ſub olla ſuccendere viſus ſibi fuerit, cũ patrefamilias pugnam conſeret eius negotij cauſſa, in quo ſomnium iſtud habuit. Nam hoc propterea ſic exponitur, quòd in ollam oculi familiæ defixi ſint. Quòd ſi lignis ſuccendit ignem, verbis cũ eo depugnabit.

Si quis viſus ſibi fuerit fruſta carnis aut cibos ad ignē calfacere, quo ijs veſcatur: in alterius poteſtate ſua deuorabit, aut eis cum metu ac trepidatione veſcetur.

Si quis lampadem ignis tenere viſus ſibi fuerit, poteſtatem inueniet, pro ipſius lampadis modo.

Quòd ſi de flamma lampadis alij quoque ſumpſerunt, & ipſe poteſtatem cum alijs commūnicabit. Nam quicunque fumo & flamma caret ignis, iniuriæ notam habet: quum eius interpretatio, qui flammam emittit, & fumum, ad potentiam, & bellum, & morbum, ceu dictum eſt, referatur.

Si quis in tenebris palpare viſus ſibi fuerit, & accedere lampadem, ad cernendum: ſi quidem accendit, & vidit, impetrandi gaudij poteſtatiſque cauſſa enixe laborabit, ac voti compos fiet, prout accenſa lampas fuerit. ſin autem, diuerſus euentus erit.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, rationes ampliore potiundi gloria perquiret, ac pro ratione ſomnij, euentus ipſius fidei reſpondebit. Simi-

Similiter ſi quis viſus ſibi fuerit factus alteri lumen, gloria cohoneſtabit eum.

Si quis viſus ſibi fuerit ignem accendere, quo ſe calfaciat: ſi eo ſuccenſo incaluit, principi preces offeret, ac pro caloris modo diteſcet.

Frigus enim paupertatis interpretationem vniuerſe continet.

Sin ignem accendit, vt carnem aſſaret: ſiquidem aſſauit, in accuſandis & puniendis hominibus ſuperior euadet, pro aſſationis modo.

Si carnem aſſatam comedit: in hominum conſpectu & peccatum admittet, & infamiam, & opes inueniet, pro modo manducationis, & adfligetur.

Reperiri certè nequit ſignificatio boni euētus ex inflammatione per ignem facta, ſola perſona negotiatoris excepta.

Is enim ſi videre videatur merces ſuas accenſas, aut eum locum inflammatum, quo merces continebantur: hoc ipſum ad mutationem aliquam, & calliditatem ipſius in negotiando refertur: ſed cum metu tamen, & irriſione.

DE IGNE, EX PERSA-rum & Aegyptiorum diſciplinis.

CLX. IGNIS rerum maximarum interpretationes habet. Nam & deorum ad perſonas refertur.

Si quis videre viſus fuerit incēſam domū ſuam, à rege, vel principe punietur.

Si quis videre viſus fuerit vſta lecti ſui ſtragula, vel vxorem, vel concubinas ſuas amittet.

Sin aliquod membrum vri viderit, in adflictionem maximā & interitum, pro cuiuſque membri ratione, incidet.

Si carbones nōdum exuſtos comedit, à rege vel magnate collocupletabitur.

Si carbones in vaſe quodam accendit, pro ignis modo magnis quibuſdā ſeruiet.

Sin eos extinxit aqua, proceribus nocebit.

Si adorauit ignem, magnatibus preces offeret, & exaudietur.

Si cinerem ſuſtulit, à magnatibus modicas & mediocres opes impetrabit.

Si lampadem accendit, eamq; geſtat: ſi rex eſt, hoc ipſum ad gloriam, & victorias, & hoſtium internecionē refertur.

Si

Si plebeius, dignitatem inueniet, pro modo & quantitate lampadis.

Si rex viſus ſibi fuerit accenſas lampades aliquibus porrigere, ſiquidē illi noti ſunt, dignitates & potentatus eis dabit.

Sin aūt, beneficijs hoſtes ſuos adficiet.

Si rex viſus ſibi fuerit multa lumina, multasq; lampades in tēplo, vel palatio ſuo accendiſſe: pro luminum modo comitia maximorum hominum indicet ad myſterium quoddā læticiæ, atq; eos con ſimiliter exhilarabit.

Sin extincta lumina ſua videre viſus fuerit, & ſe quidē inuito: pro modo caliginis, ab hoſtib⁹ adflictionē experietur.

Si quis videre viſus fuerit extinctam domus ſuæ lucernam: paterfamilias moritur, in quem vniuerſi reſpiciunt.

Sin eam rurſus accēdiſſe viſus ſibi fuerit, alius familiæ pater ſuccedet.

Si videre viſus fuerit adtenuatum & deminutum lucernæ lumen, propè vt extinguereretur; paterfamilias in morbum incidet, ac paupertatē, prout ipſum lumen defecerit.

Si domum fumo repletā videre viſus

fuerit, pro modo acrimoniæ fumi ſupplicium à magiſtratu inueniet.

Sin fumus ille boni odoris erat, verbis dulcibus poteſtatem alijs tribuet, ſimúlque famam inueniet, prout odor ille bonus viſus fuit eſſe iucundus.

Si quis lampadem tenuiſſe viſus ſibi fuerit, quæ extincta ſit: ſi rex eſt, in adflictionem incidet, nec diu ſuperſtes erit.

Si plebeius, poteſtatem quiſque ſuam cum eo, quod deſiderat, amittit.

Si citra noxam viſus ſibi fuerit ignem in veſte ſua geſtare, familiaritatem regis impetrabit, & arcanum ei credetur.

Si quis videre viſus fuerit, accenſa lucerna, totum vas illius vna inflammatū: paterfamilias excelſitatē & gloriam inueniet, ac poſtea peribit.

Si rex videre viſus fuerit templi, vel palatij ſui columnas inflammatas: ea res imperium portendit alterius, & interitum procerum, quos ille prior conſtituit.

Sin ipſemet illas viſus ſibi fuerit exurere, magnates ſuos perdet.

Quòd ſi columnas alias ſubſtituiſſe viſus ſibi fuerit, magnates alios in illorum loca ſubſtituet. Si

Si quis ad ignem viſus ſibi fuit incaleſcere, principi cuidam ſemet adiunget, & pro modo caloris diteſcet. Frigus enim paupertatem denotat.

Si quis videre viſus fuerit, capillos ſuos incenſos: opes ſuas, pro modo flammæ, per magiſtratum amittet.

Si rex eſt, in prælio populi ſui iacturam faciet alius quidam hoſtis eius, pro modo pilorum.

Si rex videre viſus fuerit, clabulam ſiue currum ſuum exuſtum: regnum eius deprimetur.

Sin & ſellam in curru concrematam videre viſus fuerit, ipſemet morietur.

Si thronus exuſtus eſt, Auguſta morietur.

Si ſe curru vectum videre viſus fuerit, & rotas inflammatas: ex agitatione morbum inueniet, pro modo inflãmationis.

Quòd ſi expeditionem inſtituit, eam reſcindet.

Quotquot domum colluſtrauerint lumina, quauis in perſona boni, gloriæ, poteſtatis ſignificationem habent.

Similiter & eorundem extinctio, contrarium quiddam portendit.

DE VOLATV, ET SALTV,

Perſarum, Indorum, Aegyptiorumq́ rationes.

CLXI. SI quis in ſomnis viſus ſibi fuerit in latitudinem volare de loco in locũ, expeditionem ſuſcipiet, qua ſublimitatem & opes inueniet, prout in volatu viſus fuerit euehi. Reſpondebit & iter euolationis modo.

Si ſalijſſe de loco in locũ viſus ſibi fuerit, eandem interpretationem putet, at infirmiorem.

Si viſus ſibi fuerit directò in ſublime volaſſe, damnum cum interitu veloci experietur.

Si viſus ſibi fuerit euectus in cęlum, vtque manibus cælum præhenderet, enixè laboraſſe: acrior ei & celerior imminet interitus.

Si quaſi per cælũ veniſſe viſus ſibi fuerit, etiam ita breui morietur, & ante obitum mentem amittet.

Si quis in cælo quaſi ſedere viſus ſibi fuerit, ignorans interim, quo pacto illuc peruenerit: in fide ſua gratiam inueniet. Quòd ſi de neceſſariorũ regis numero fue-

fuerit,celebris & ampliſſimus euadet.

Si quis viſus ſibi fuerit habere pulchras in aëre domos, & inuſitatas: breui morietur.

Sin domus ea pro ædificiorum more ſtructa fuerit, quicunque tandem hoc ſomnium habuerit, res eius in præcipiti ſunt,& interitui proximæ.

Si quis de loco in locum viſus ſibi fuerit ſublatus, à negotio ſuo citò tranſibit ad aliud, ſiue peius, ſiue melius, pro ratione locorum: itemque impedimento, pro ſaltus ipſius tractu.

Si quis viſus ſibi fuerit innixus baculo ſaltaſſe, baculus iſte potentem ac nobilem virum ſignificat. itaque adiumento viri nobilis expeditionem ſuſcipiet, & lęticia potietur.

Similiter ſi viſus ſibi fuerit tenendo columnam ſaltaſſe, ſumpta de diuitijs confidentia expeditionem ſuſcipiet.

Si ſaltabat innixus virgæ ferreæ, ſolidiores opes adquiret, pro ratione ponderis ferri.

INDORVM, PERSARVM ET *Aegyptiorum conſentientes interpretationes.* CLXII.

SI quis inſtar auis volaſſe viſus ſibi fuerit, abſque pennis, in aëre vectus: eminentiam gloriæ dignitatiſq; reperiet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, omnia ſua tam in bello, quam cæteris actionibus deſideria perficiet.

Si rex ad cælum quaſi volaſſe viſus ſibi fuerit, vbi ſidera eſſent: ſupra reges cæteros & eminentia potietur, & fama.

Conſimiliter ſi verba quædam audierit illic à ſideribus prolata, vel in litteris iſtic perſcripta legerit, eorumq; meminerit: quidquid hoc tandem fuerit, auditum, lectum, certo eueniet. Erit etiam pro altitudinis modo longæuus.

Quòd ſi etiam viſus ſibi fuerit à terra cum ſideribus colloquutus, aut iſtic aliqua legiſſe: conſimilis erit euentus.

Si rex viſus ſibi fuerit ſurſum profect⁹, in cęlo conſediſſe: regionem ea maiorē, quam poſſidet, in poteſtatem rediget.

Si palatium ibidem habuiſſe viſus ſibi fuerit, in ditionem rediget ac poſſidebit ampliorem terram alienam, & domicilium in ea conſtituet.

Si viſus ſibi fuerit in adſcendendo prę-

cipi-

cipitaſſe, àc cecidiſſe: regnum ſuum amittet, ac morietur.

Si de loco in locum ſaltaſſe viſus ſibi fuerit, cum expertè metus ſecuritate ac lætitia de locò ad locum tranſibit.

Si cum formidine ſaltaſſe viſus ſibi fuerit, in expeditionem formidoloſam & bellum ibit.

Si hæc plebeio, vel pauperi per quietẽ oblata fuerint: interpretatio & inferior, & infirmior eſt ijs, de quibus dictum.

DE NVBIBVS, EX *Indorum diſciplina.*

NVBES ſapientiæ ſignificationem continent. CLXIII.

Si quis partem nubis adpræhendiſſe viſus ſibi fuerit, pro nubis ipſius quantitate ſapiens fiet.

Si ſe ſublatum à nubibus videre viſus fuerit, & quo vellet, abductum: ſi de illorum eſt numero, qui ſapientiam quærunt, extremum ſapientiæ verticem adtinget: ſin mundanis rebus oblectatur, cum metu principis à potente quodam diuitias conſequetur.

DE

CLXIIII. DE NVBIBVS, PERSArum & Aegyptiorum rationes.

SI quis viſus ſibi fuerit, à particulari quadã nube madefactus, vel eius caliginem ingreſſus: in morbũ incidet pro modo madoris, & opacitate caliginis.

Si videre viſus fuerit impletam nube domum ſuam, atque inde madefactam: ſi rex eſt, domum imperij eius denotat: ac ſi quidem ei ſubiecta regio annonæ penuria premitur, fertilis fiet: ſi nulla penuria eſt, omnis eius exercitus opes, læticiam plebs inueniet.

Si plebeius aliquis tale ſomnium habuerit, à principe metum inueniet.

Si rex in nubibus conſediſſe viſus ſibi fuerit, & vehi quocunque lubeat: barbari hoſtes ei ſeruitutem ſeruiẽt, quibus ipſe cum imperio præerit, ac victorias gaudiaq; nec opinata conſequetur.

CLXV. DE VENTIS, EX INdorum diſciplina.

SI quis per quietẽ viſus ſibi fuerit ſublatus à vehementi vento, de loco in locum transferri: longam expeditionem inſtituet, ac prout ipſe venti motus leuis expe-

expeditusq; fuerit, poteſtatē apiſcetur.

Si puluere vi venti obrutus, caligaſſe viſus ſibi fuerit: ſollicitudine ac metu à principe percelletur, ac pro modo caligationis oculorū fides eius deminuetur.

Si videre viſus fuerit ſpirantem ventū vniuerſalem, aut localem: à rege metus erit.

Si videre viſus fuerit arbores à vento fractas, ex indignatione regis peribunt proceres, pro ipſarum arborū numero.

Si domos & ædificia diruta, populi principes interibunt.

Conſimiliter omnibus ruinis, per quietem oblatis, ruinæ reſpondebunt.

Frigus quoque profectum à vēto, paupertatem & patrimonij deminutionem portendit: quum frigus ipſum ex paupertate homo patiatur.

Itidem calor nimius de adflictione intelligitur.

Si quis videre viſus fuerit, quaſi ventus ingēs eo tempore flaret, quo flores prodeūt: ſi fregit arbores, terræ diuitias portendit: quandoquidem ventus aliquid rebus quoque naſcentibus fert ſubſidij.

DE VENTIS, PERSARVM
Aegyptiorumq́; rationes conſimiles.

CLXVI. SI quis viſus ſibi fuerit adiutus à vento celerius progredi, perpetuum à magiſtratu ſubſidium, læticiam, & opem inueniet.

Sin ab antica parte impedimento ventus ei fuit, euẽtum contrariũ experietur.

Si rex in itinere viſus ſibi fuerit à ventis impediri: nuntiũ è longe diſſito principatu accipiet, quo perturbabitur.

Sin ab eis adiuuatur, res lætæ portenduntur.

Si quis videre viſus fuerit flantem ventum contrarium, qui fructus læderet: locus ille, quo ventus flare viſus eſt, morbi contagio inficietur.

Si videre viſus fuerit flantes aliquo loco ventos vehementes, qui radicitus arbores euellerent, aut palmas ſubuerterent: pro modo ruinæ, à rege vel loci principe terror & internecio imminebit.

Si omnes venti quieuiſſe viſi fuerint, & populus puſillis eſſe animis: in eo loco terræ motus accidet, ac præterea loci princeps ad inopiam redigetur.

Si

Si ventus calidus hyberno tempore ſpiraſſe viſus fuerit; hoc ipſum ad fructus & fertilitatem loci referatur.

Si quis videre viſus fuerit flantem hyberno tempore ventum frigidum & acrem, hoc aduerſum aliquid illi loco portendere ſtatuat.

Similiter ſi æſtiuo tempore ventus ſubfrigidus flauerit, ad emolumẽtum commodumq; loci refertur. Sin alius, diuerſum denotatur.

Si rex videre viſus fuerit flantem alicunde ventum vehementem, pars incolarum regni eius aut boni quidpiam, aut mali expectet, pro ipſius venti ratione.

DE SOLE, LVNA, SIDERIBUS, *ex Indorum, Perſarum, Aegyptiorumq; diſciplinis.* CLXVII.

SOL dubio procul ad regis perſonam interpretando refertur, & ad principis à rege ſecundi perſonam luna.

Venus ad perſonam Auguſtæ.

Itidem alia maxima ſydera, ad viros apud regem ampliſſimos.

Stellæ reliquę, ad mũdum vniuerſum.

Si quis viſus ſibi fuerit ad diſcum ſola-

rem propiùs acceſſiſſe, vel eum adpræhendiſſe: à rege lætitiam conſequetur, pro ratione propioris acceſſus.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, Auguſta fiet.

Si rex huiuſmodi ſomnium habuerit, alium ſibi regem ſubijciet.

Si quis viſus ſibi fuerit pugnaſſe, vel bellum aduerſus ſolem radios ſuos ſpargentem ſuſcepiſſe: regem oppugnabit.

Si plebeius, à rege ſupplicio adficietur.

Si viſus ſibi fuerit inſtar ſolis ſparſiſſe radios, pro lucis modo regnabit.

Si regi viſum hoc oblatũ fuerit, regnũ eius ampliore gloria condecorabitur.

Eadem eſt in perſona mulieris interpretatio.

Si mulier viſa ſibi fuerit peperiſſe ſolẽ, quæcunque fuerit, regem pariet.

Si quis videre viſus fuerit egredientes de ſe radios, qui populo ſint impedimento, quo minus ipſum adſpiciat: & ipſe regno potietur.

Si quis globũ ſolis tenere viſus ſibi fuerit, radijs carentem: ſi debilis eſt, aut adfligitur, conualeſcet ac lætitia fruetur.

Sin

Sin vir ampliſſimus eſt, regẽ contẽnet.

Si rex, alium quendam maximum regẽ vel principem in vinculis detinebit.

Si cui viſum oblatum fuerit, quaſi ſol radios in eius domum præter morẽ ſparſerit: à rege gaudium & opes conſequetur, pro lucis ipſius modo.

Si videre viſus fuerit ſolem, ſiue diſcũ ſolarem, ingreſſum ædes ſuas: ſi rex eſt, regem procreabit.

Sin vir aliquis ampliſſimus, aut plebeius: maiorem ad ſublimitatem euehetur, & voluptatem capiet, & regem ipſum excipiet.

Si quis viſus ſibi fuerit ingreſſum ad ſe regem contempſiſſe, perduellis erit aduerſus regem.

Similiter ſi ſomniũ quis habuerit, quaſi flamma ſolis eum in itinere calfecerit: opes à rege conſequetur, pro modo caloris. Si viſus ſibi fuerit à ſole plurimum aduſtus, pœnam pro modo vſtionis inueniet.

Si quis ſolem in cælo luce radijsq́; carentem videre viſus fuerit, ad perſonam regis calamitas ſpectat.

Sin is,cui tale viſum oblatum fuit,è magnatum eſt numero:regem contemnet.

Si videre viſus fuerit populum eadem ſecum adſpicientem,conſimiliter & populus regem nihili faciet.

Si cui ſol defeciſſe per quietem viſus fuerit, ea res & adflictionem & bellum regi portendit.

Si viciſſim repurgatum à tenebris ſolem videre viſus fuerit, ad regis hoc victorias ſpectat: ſin autem, diuerſum ſignificatur.

Si quis videre viſus fuerit ſolem nube tectum, & in adflictionem, & morbos, pro occultationis modo, rex incidet.

Si videre viſus fuerit orto iam manifeſto ſole,fuiſſe colluſtratum ab eius lumine lectum ſuum: ſi nullam vxorem habet, opulētam ducet: ſin habet, in amorem opulentæ perueniet, per quam & regiæ maieſtatis gratiam impetrabit, & dignitatem, & eminentiam, pro ipſius lucis modo.

Si quis ſolem nubibus tectū tenuibus videre viſus fuerit, perſonæ regis adflictionem & morbum portēdi, leuiorem tamen,cogitet. Si

Si deterſum videre viſus fuerit, rex ad valetudinem priſtinā læticiamq; redit.

Omnino de rege ſol intelligitur, à quo ſi quis vel commodum, vel damnū cepe rit: conſimile quiddam à rege expectet.

Si quis videre viſus fuerit ſolem, & lunam, & omnia reliqua ſydera ſuo cum lumine vnum in locum cōgregata, quibus ipſe cum poteſtate præfuerit: aut regno potietur, aut talis fiet, vt ab eo rex ipſe cùm omnibus ſuis gubernetur.

Si regi ſomnium hoc oblatum fuerit, omnia ſibi aduerſa ſubijciet.

Si mulieri, dominatū in aula obtinebit.

Si quis abſque lumine ſolem, lunam, ſidera congregata videre viſus fuerit: ſi de magnatum numero eſt, propter iſtas tenebras omnino ruet in interitum.

Si rex eſt, circundatus ab vniuerſis bello petetur, & magnam in adflictionem incidet.

Tenebræ ſiderum illi, cui per quietem offeruntur, etiam auri & opum diſſipationem portendunt.

Si alios adficere conſueuit iniurijs, duplicatas ab eo populus iniurias experietur.

Sol magnum aliquem regem denotat. ac ſi quidem is, cui viſa iam expoſita per quietem offerũtur, in ditionibus & prouincijs regis verſatur: ad regem ipſum euẽta ſpectant. Sin ad aliud imperium & potentatum pertinet, conſimiliter res in ipſi⁹ capite ac magiſtratu exitũ ſortietur.

Luna, ceu dictum eſt, ad perſonam hominis à rege ſecundi refertur:

Venus, ad perſonam Auguſtæ:

Mercurius, ad perſonam principis inter regios ſcribas:

Mars, ad perſonam primi ducis regij, qui bella gerit:

Iupiter, ad perſonam eius, qui principe loco & opibus, & auro, & adminiſtrationi regis præeſt:

Saturnus ad eũ refertur, qui facinorũ pœnas exigit, & delinquentes caſtigat.

Si quis videre viſus fuerit exortum in domo ſua lunæ ſplendorem, gaudium atque opem conſequetur ab eo qui ſecundùm regem primas tenet.

Si coniuge caret, vxorem cum gaudio ducet, ac diteſcet.

Si viſus ſibi fuerit ipſemet lunæ diſcum

in

in domum ſuam deducere, vel eum habuiſſe in poteſtate: principis illius viri diuitijs & poteſtate ſic vtetur arbitratu ſuo vt in eis ipſe pro lubitu diſponat.

Si luna regi defeciſſe, vel obſcurata eſſe viſa fuerit: is qui principem ab ipſo locũ obtinet, perduellionis crimen incurret, & ad populum conatus ipſius emanabit.

Si viſum hoc alij cuidam oblatum fuerit, ſimiliter euentus ad perſonam illam principem ſpectabit.

Si videre viſus fuerit lunam à tenebris viciſſim repurgatam, amiſſa luce recuperata: rurſus ille reuocabitur, & ad eandem gloriam redibit.

Si rex videre viſus fuerit, exigua cũm luce Veneris ſidus oriri: Auguſtam ſuã odio proſequetur.

Si nubibus idem ſidus vndiq; obductũ videre viſus fuerit, in Auguſtæ perſona morbum & adflictionem experietur.

Sin multa luce ſidus illud abundauerit, plusq; maieſtatis habuerit: & oblectationem ex ea capiet, & amabit eam, maremq; procreabit. Si cecidiſſe ſidus hoc viſum fuerit, Auguſta morietur.

Quòd ſi etiam alius quiſpiam videre viſus fuerit, quaſi ſidus hoc ſplendorem ſuum in ipſum, vel domum eius emitteret: læticiam ab ea conſequetur.

Reliqua quoque ſidera maxima, ceu dictum eſt, ad perſonas indicatas referuntur eo modo, quem expoſuimus: & qui ea videre viſus fuerit, ſi quidem in regione vel regis, vel ampliſſimi alicuius viri degit, ad eos interpretatio ſomnij pertinebit.

Sin aliena in ditione viuit, ad eius terræ caput omnia referantur. Plerumque tamē ita res comparata eſt, vt hæc in aliena terra nemini per quietē offerantur.

CONSIMILES RATIONES

CLXVIII. *ex Perſarum & Aegyptiorū obſeruationibus.*

LVNAE interpretatio pertinet ad eū, qui ſecundus in regno eſt, ſolo nimirum rege minor.

Si quis lunam in cælo videre videatur, toto ſplendentem lumine: gaudium à rege cum diuitijs conſequetur.

Si proximo ex interuallo viſus ſibi fuerit eam videre, vel quod eā ſinu manuue teneat: ſi vir eſt vxorem elegantem

&

& lepidam accipiet, prout Lunæ diſcus plenè viſus fuerit illuminatus.

Sin mulier eſt, ſimiliter & ipſa maritum accipiet.

Conſimili modo ſi viſa fuerit ſplẽdore ſuo vel ipſum, vel domum eius colluſtraſſe: læticiam ab eodem rege vel ipſius familia, vel ipſe conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit videre Lunam caliginoſam & illunem, ad execrationem & interitum ſuum fortè mulierem accipiet, & à rege punietur.

Similiter ſi viſum hoc oblatum homini plebeio fuerit, ipſe caſus aduerſus ad eiuſmodi regem referatur.

Cæterorum quoque ſiderum maximorum multitudo ad nobiles & opulentos, habita proportionis ratione, refertur, & ad eos, qui regi proximi ſunt, quoquo tandem loco degant.

Habent autem pleniorem interpretationem ſidera, quæ proxima viſa fuerint, vt exiliorem, quæ longiùs remota.

Si quis videre viſus fuerit maxima quęque reliquorum ſiderum, luciſq; plena, in vnum collecta locum: hoc ipſum de

concilio lætíciaq; publica illorum acci-
piat, de quibus eſt dictum.

Conſimiliter ſi ea perexiguo prædita lumine, diſiecta & ſparſa, caliginoſaque videre viſus fuerit: hoc ad indicatarum perſonarum calamitatem, & ad regios præſides refertur.

Sin ex parte vel adfecta fuiſſe viſa fuerit, vel lucē prębuiſſe: hoc ad particularē quoque lætíciam, vel dolorem referat.

Si quis vniuerſis ſyderibus alijs præfuiſſe cum poteſtate viſus ſibi fuerit, omnes populos in ditionem rediget: ac ſi quidē idoneus eſt, imperio potietur.

Sin ex parte poteſtatem in ea viſus ſibi fuerit habuiſſe, dominatum vnius populi adſequetur.

Si viſus ſibi fuerit paſcere, bellè diſponere, atque in ordinem redigere ſidera: principatum populi à rege maximo cō-ſequetur, pro ratione temporis, & diſpoſitionis ipſorum ſiderum.

Si quis ſidera manducare viſus ſibi fuerit, pro modo manducationis homines abſumet. Sin ea citra manducationem abſorbuiſſe viſus fuerit, inuſitati quidam
homi-

hominesin eius domum venient, & amicè cum eo conuerſabuntur.

EIVSDEM GENERIS, *ex Perſarum diſciplina.*

CLXIX.

SI quis aſtra deorum in numerũ relata viſus ſibi fuerit adorare, rei cuiuſdam cauſſa regi preces offeret,& gratiã inueniet,ſi quidem aſtra viſa fuerint eũ ſplẽdore ſuo colluſtrare. Si coram eis flere viſus fuerit, gratiam apud regẽ inueniet, pro modo ploratus. Si ſuffitum eis facere viſus ſibi fuerit intra templum, propter vim ignis exiſtimationẽ famamq́; præclaram cum poteſtate apud regem inueniet, pro ipſius fragrantiæ modo.

Sin eis immolauit,ſiue adeò conditionis humilis fuerit, ſiue magnus: amorẽ perfectum & verũ ergà regẽ declarabit.

DE SIDERIBVS, EX *Indorum traditionibus.*

CLXX.

SI qs adorare viſus ſibi fuerit aſtra,quæ pro dijs vulgus habet,mentiẽdo fraudulẽtè ſe geret erga magnates,pro ratione ſiderum. Nam quæcunq; præter opificem rerum adorãtur, falſa ſunt atq; vana. Soli nimirũ Deo cõpetit adoratio.

Si

Si quis ſuſpexiſſe viſus ſibi fuerit, & vidiſſe ſidera per res veras & exiſtentes, putà in figura litterarum: ſi rex eſt, aut magnatum quiſpiam, poteſtas eius dilatabitur, & longæuus erit, prout ea viſus ſibi fuit intueri & adſpicere.

Si litteras legiſſe viſus eſt, ſignificatum efficacius erit, ac quidquid ſanè legerit, pro certo teneat.

Si non legerit, beneficio minore potietur.

Si quis à ſideribus ductus, iter facere viſus ſibi fuerit, tam terra, quã mari fortunatus erit, & maximo ſe, iuſtoque iudici adiunget, apud quem erit in gratia.

Sin errare viſus ſibi fuerit in itinere, in iudicem ſtolidum incidet, à quo adfligetur.

Si quis videre viſus fuerit in mare delapſa ſidera, hominum à rege profectam internecionẽ per hoc viſum intelligat.

Si rex tale ſomnium habuerit, cladem populi ſui morientis maximã videbit.

Si videre viſus fuerit aſtra coloris ignei mutuò ſemet inuadentia, diuerſos nuntios de populo ſuo, & eius interitu, accipiet:

piet: pro inflammationis eorum modo.

Si rex vel auguſta videre viſi fuerint, quaſi degreſſum è cælo ſidus cum eis ſit colloquutum: omnem à Deo læticiam, & impletionem deſideriorum ſuorum, impetrabunt.

Si plebeius aliquis hoc videre viſus fuerit ad hilaritatem & rectam valetudinẽ cuique cedet, ſi quidem vel ęger eſt, vel adfligitur. Sin autẽ, in profeſſione quiſque ſua voluptatem inueniet.

DE PLVVIA, EX INDORUM *diſciplina.* CLXXI.

Pluuia de impletione voti ac precationis, deque miſericordia intelligitur.

Si quis ergo per quietem videre viſus fuerit, irrigatum à pluuia prædium ſuũ: & opes, & læticiam, & miſericordiam impetrabit à Deo.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, idq́; illo tẽpore, quo magna pluuiæ penuria: quidquid à Deo petiuerit, impetrabit.

Quòd ſi etiam caritas annonæ regionem ipſius vexat, fertilitas ſequetur.

Si non eo tempore, quo pluuia deſideratur:

ratur: minus aliquanto virium habet interpretatio.

Si quis de pluuia bibere viſus ſibi fuerit, ſiquidem pura eſt, poſt indicatum illud publicum beneficium & is, qui pluuiam bibit, magna diuinitus beneficia conſequetur.

Sin turbida, in adflictionem & morbũ incidet, prout multum bibiſſe viſus ſibi fuerit.

Si domum duntaxat ſuam pluuia madefactam videre viſus fuerit, in morbum peſtilentem & ægritudines acres familia eius incidet.

Similiter & de alijs diuerſis ædificijs, quæ hoc modo conſpici per quietem viſa fuerint, eadem eſt interpretatio.

Si quis copiam pluuiæ quandam collegiſſe viſus ſibi fuerit, pro modo factę col lectionis, adflictionem & aduerſitates experietur.

CONSIMILES RATIONES *ex Perſarum & Aegyptiorum monumentis.*

CLXXII. SI quis videre viſus fuerit locũ & regionem ſuam moderata pluuia rigatam, eius regionis incolę regis beneficentiam experientur. Sin

Sin vltrà, quàm vſus poſtulet, ac immoderatè pluat: incolæ regis indignationẽ experientur, & tandem miſericordiam rurſus impetrabunt.

Si viſus ſibi fuerit in itinere à pluuia madefactus, ſi rex eſt, aduerſum aliquid voluntati ſuæ experietur, prout ipſius veſtimenta maduerint. Quòd ſi etiam expeditio inſtituenda erit, omittet eam.

Similiter & de plebeijs, deque perſona quauis eadem eſt interpretatio.

Si quis videre viſus fuerit locum irrigatũ non ab aëre, ſiue pluuia, ſed alio quodam modo: eius loci incolarum ſpes & expectatio fruſtra erit, adeoq; nouam rem quãdam aduerſam, & morbos præter naturam experientur.

Vbicunque pluerit, pluuia pura cuiuis perſonæ bonum portendit: ſin turbida fuerit, & impura, diuerſum.

DE LVTO, EX INdorum diſciplina. CLXXIII.

SI quis in luto viſus ſibi fuerit ambulare, ſollicitudinem & adflictionem inueniet, pro ipſius luti cópia.

Si fœtido in luto ambulat, adflictio grauior

uior eum cum infamia, propter fœtorem, excipiet.

Si quis figulinũ opus feciſſe viſus ſibi fuerit de humo pura, experietur in auro ſuo malam adminiſtrationem, cum ſollicitudine & adflictione.

Si videre viſus fuerit aliquam veſtem ſuam luto conſpurcatam, adflictionem experietur, ſecundum expoſitam ſuperiùs interpretationem, in ijs perſonis, quas ſingulas ad veſtes retulimus.

Similiter & in membris eadem eſt ratio, prout antea de ſingulis membris diximus.

CLXXIIII. DE TERRÆ FAVCIBVS, *& alueis aquæ pluuiæ, ex Indorum, Perſarum, Aegyptiorumq́ doctrina.*

SI quis viſus ſibi fuerit iter facere, vel tranſire per fauces terræ ab aqua pluuia factas, ei ab hoſte forti ac potente vis & adflictio quædam imminet.

Si magna cũ difficultate viſus ſibi fuerit eas penetraſſe, ab hoſte liberabitur.

Si videre viſus fuerit, ablatam ſibi veſtem ab eadem aqua torrente: vel opum ſuarum, vel perſonarum, ad quas veſtimentum

mentum quodlibet ſuprà relatum eſt, vi potentis alicuius hoſtis iacturam faciet.

Quum quis in eodem alueo torrentis viſus ſibi fuerit ſuffocatus, in bello aduerſus hoſtem validum occumbet.

Si quis videre viſus fuerit eundem torrentem arbores cum ædificijs ablatas aduexiſſe: ſi rex eſt, pro arborum modo tã homines, quàm terras amittet.

Si plebeius, ipſummet in prælio periturum portenditur.

DE FLVMINIBVS, EX *Indorum diſciplina.* CLXXV.

FLVMINA, pro ratione magnitudinis ipſorum, ad perſonas tam humilium, quàm magnorum hominum referũtur.

Si quis viſus ſibi fuerit ad maximum in ſcriptura flumen acceſſiſſe, vel tranſijciendi, vel aquandi cauſſa: ſi abſque nauigio tranſiecit, alterius interceſſione, quod cupit, impetrabit.

Sin aquari viſus eſt, de magnatis alicuius opibus ſeſe collocupletabit, pro ipſius aquationis modo.

Si de flumine bibit, isq; potus & limpidus & dulcis erat: à magnate quodã gau-

dium & dignitatem conſequetur.

Sin turbidus erat, & inſuauis: ab eiuſmodi homine vexabitur, & in morbum incidet. Similiter ſi de fluminibus alijs aquari viſus ſibi fuerit, opes ab homine plebeio conſequetur, pro ipſius fluminis modo & quantitate.

Si viſus ſibi fuerit in fluuio nataſſe, tranſiectionis aut lauandi cauſſa: cum auctoritate ſuperior euadet in ijs cauſſis, de quibus ei cũ alio lis eſt, modò tranſiecerit. ſin autem, contrarium accidet.

Sin abluendarum ſordium cauſſa natare viſus ſibi fuerit, ampliſſimi viri ope, pro ratione fluminis, ex ærumnis liberabitur.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt eiuſmodi flumen deriuaretur: idq́; deriuatum deinde fuit: ampliſſimum quẽdam virum, pro modo fluminis, in ſeruitutẽ rediget, ac quò volet, transferet.

Si flumen in alueum ſuum reuerterit, maximus ille vir viciſſim regis amorem in ſe flectet.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt flumen aliquod ponte ſterneretur: virum maxi-

maximum liberè, non ſeruilem in modum, pro quantitate fluminis, amore ſibi deuinciet.

Si rex viſus ſibi fuerit aquam fluuialẽ in lacus ſiue ciſternas immiſiſſe, pro modo & quantitate fluminis opes à maximo quodam viro acceptas in theſauros ſuos referet.

Si quis viſus ſibi fuerit confeciſſe receptaculum quoddam, inſtar lacus, deque fluminibus aquam eò deriuaſſe: diuitias ab alijs conſequetur, & in theſauros ſuos congeret.

Aqua paulatim manans in morẽ fluminis, licet magnas vires habeat, ſi ab aliquo vel impediatur, vel obſtruatur: nõ tamen ad ampliſſimum aliquem virum refertur, ſed ad vitam hominum.

Quòd ſi quis aquam huiuſmodi collegiſſe, ſuæq; ditionis feciſſe, viſus ſibi fuerit: prout aqua limpida fuerit, & ipſe viuendi breue vel longum ſpatiũ inueniet.

Quòd ſi videre ſibi videatur alios quoque vicinos ex ea bibere: de ſuis opibus eis benefaciet, modò limpida & dulcis aqua fuerit.

Sin turbida,& ingrati ſaporis:tam ipſe, quàm alij de ea bibẽtes, vitam miſeram exigent.

Si locum ſuum rigare viſus ſibi fuerit, ad poteſtatem principis euehetur,& res præclaras ac vtiles inter homines geret.

Si quis viſus ſibi fuerit iter faciens in loco quodam ignoto,vel ex ignoto vaſe bibiſſe: ſi totũ vas ebibit, citò morietur: ſin aliquid in vaſe remanſit, pro eius, quod ſuperfuit, modo & portione,viuet.

Aqua celeriter fluens interpretationẽ debiliorem habet ea, quæ trãquillè modiceq; manat.

Si quis viſus ſibi fuerit acceſſiſſe,vel cõſediſſe propter amnis alicuius ripã,propè quidẽ vt abeſſet à flumine: ſi luto maculatus fuit,aut territus à flumine,conſimiliter ab homine quodam adfligetur. Sin aqua ſordes ſuas abluit, etiam pari ratione tam ſollicitudo,quàm adflictio,ab illo altero illata, ſummouebitur.

Similiter ſi ad collum vſque vel ſupra caput ipſum fluminis aqua peruenit: parem adflictionẽ atq; miſeriã experietur.

Si ad medium vſque fluminis natando perue-

perueniſſe viſus ſibi fuerit, in alicuius vincula & vexationem incidet.

Si terram adtigit, prout abſuerit ab ea, de miſerijs ſubleuabitur.

Sin viſus ſibi fuerit in flumine ſuffocatus, hominis cuiuſdam, fluminis magnitudini reſpondentis, manu conficietur.

DE FLVMINIBVS, EX *Aegyptiorum monumentis.* CLXXVI.

FLVMINA, quæ terram irrigant, hominum vitam ſignificant.

Si quis videre viſus fuerit flumen exiccatum, quod terram irrigare ſolebat: is locus & annonæ caritate, & ſollicitudine, & afflictione grauabitur.

Si [a] flumen exundaſſe viſum fuerit, incolæ gaudium fertilitatemq́; conſequẽtur, & ipſe Pharao cum magnatibus ſuis lætabitur.

[a] *Nilus intelligitur.*

Si videre quis viſus fuerit, irrigata per fluuium terra, remanſiſſe piſces: incolæ ſimul & opes, & morbum inuenient.

Si ſerpentes remanſerint, & ranæ, & beſtiæ reptiles: ab hoſtibus bellum eis inferetur, quos ipſi ſuperabunt, ſi modò

reptilia viciſſe viſi fuerint. ſin minus, cõtrarium accidet.

Similiter & illa flumina, quæ terram non irrigant, ad hominum perſonas, proportionis habita ratione, referuntur. Quidquid eis acciderit vel boni, vel mali: hominibus eueniet.

Si quis retia viſus ſibi fuerit in flumen abieciſſe, piſcium capiundorum cauſſa, feliciterq́; iactum ceſſiſſe: ſi rex eſt, tam belli curis, quàm reliquis grauatus, exitum felicem experietur. ſin autem, diuerſum eueniet.

Si cui plebeio viſum hoc oblatum fuerit, prout ipſe iactus ſucceſſerit, opes inueniet. Si planè non ſucceſſerit, contrarius euentus erit.

CLXXVII. DE SOMNIO CVIVSDAM.

QVIDAM vſurpata domini ſui perſona, Sereimum ſomniorum interpretem tentandi cauſſa conuenit, eumq́ue conſuluit in hunc modum. Viſus ſum per quietem totum ebibiſſe Tigrim fluuium. Cui Sereimus: Hoc ſomnium minimè tuum eſt, ait. nam fieri nequit, vt in te cadat. Ille rem ſic eſſe, faſſus:

faſſus: Equidem, ait, hoc ſomnium non habui: ſed herus meus. Tum Sereimus: Domum reuerſus, inquit, eum mortuum inuenies. Vti dixerat, ita factũ eſt.

DE MARI, EX INDORVM, Perſarum, Aegyptiorumq́ rationibus. CLXXVIII.

MARE, cum profunditate ſua, magni regis ad perſonam refertur: vtque amnes vniuerſi in mare ſemet exonerant, ſic ad regem opes vniuerſæ confluunt.

Si rex videre viſus fuerit, nouos quoſdam amnes & inuſitatos ad mare perueniſſe: à longè diſſitis gentibus opes & gaudium conſequetur.

Sin vſitatos amnes auerſos videre viſus fuerit, quo minus in mare ſemet exonerarent: prouentus quidem eius deficiẽt, at ipſe non deminuetur. Nec enim hoc mari accidere poteſt.

Si quis viſus ſibi fuerit aquam bibiſſe marinam, opes à rege conſequetur, prout multum parúmue bibit.

Si quis viſus ſibi fuerit factus maris dominus, in vniuerſo regno ſuccedet, ac imperabit.

Si quis ſomniũ habuerit,quaſi aquandi cauſſa de mari hauſerit, & vaſis aquã in domum ſuam effuderit: pro vaſorum ratione,regijs opibus implebitur.

Si quis viſus ſibi fuerit eſcis hami piſces in mari cepiſſe, pro modo capturæ diuitias à rege conſequetur.

Si reti viſus ſibi fuerit piſcatus, apertè cum recta ſeruitute,pro capturæ modo, à regę ditabitur.

Si ſomnium habuerit,quaſi propter litus obambulans, pedes abluerit: ad regem propiùs accedet, proq; loturæ modo lætitia beabitur.

Si viſus ſibi fuerit iuxta litus maris in cœnum incidiſſe,à rege adfligetur, prout demerſus in lutum fuerit.

Si longo ex interuallo mare tranquillum videre videatur,lætitiam à rege minorem impetrabit.

Si mare viſus ſibi fuerit ingreſſus ad cincturam vſque,ſeq; abluiſſe:regi familiaris erit, proque modo lotionis exhilarabitur.

Sin ingreſſus ita fuerit, vt ad verticem vſque cooperiretur: & ſollicitudinem inue-

inueniet, & adflictionem, & magnam à rege vexationem.

Si tantummodo natabat, oppreſſionem & vim regis experietur: ac prout à terra propiùs aut longiùs abſuerit, euentus diuerſos ſentiet.

Si viſus ſibi fuerit in mari ſuffocatus, à rege ſupplicijs adfectus vitam finiet.

Si quis mare tranquillum ex interuallo proximo videre viſus fuerit, omni moleſtia liberabitur, & gaudebit.

Si rex mare vehementer à vento quodam noto turbatum videre viſus fuerit, à natione verſus illum ventum habitante turbas accipiet.

Si videre viſus fuerit poſt illam maris cõmotionẽ eiectos canes, aliasq; belluas marinas: magnates ipſius peribunt.

Si tranquillum mare videre viſus fuerit, ex regno ſuo delectationem capiet.

Sin turbatum, & ipſe turbabitur.

Quòd ſi etiam viſum hoc alij fuerit oblatum, ad perſonam regis interpretatio pertinet.

Si viſus ſibi fuerit ambulare ſuper aquas maris, & fiduciam, & poteſtatem, & fa-

miliaritatem à rege impetrabit.

Si viſus ſibi fuerit ſupinus in aquis ferri, quocunque vellet: huius quoque viſi potior & pretij maioris eſt interpretatio, quàm aliorum iam indicatorum. Sed nõ omnibus offertur, niſi principatum obtinentibus, & qui familiaritatem regis intimam ſunt conſequuturi.

Si rex viſus ſibi fuerit piſces cepiſſe viuos, aut aliquid è profundo traxiſſe, atque alijs dediſſe, vel quodam in loco depoſuiſſe: ſubditos ditabit, aut theſauros congeret.

CLXXIX. DE NAVIBVS, EX *Indorum diſciplina.*

NAves ad diuerſas perſonas interpretando referuntur.

Si quis intra nauẽ viſus ſibi fuerit mortuus: mors iſtæc, quam in naui obijt, vitam, & ex miſeria liberationem ſignificat.

Si viſus ſibi fuerit impleſſe nauim bonis ſuis, vt peregrè abiret: ſollicitudinem & adflictionem inueniet.

Si nauem ingreſſus vento proſpero nauigaſſe viſus ſibi fuerit: ſuis in rebus proficiet,

ficiet, atque gaudium, pro ratione ſucceſſus in nauigando, à principe conſequetur.

Si ventus contrarius fuerit: & adflictionem inueniet, & morbum, & vincula, & eorum, quæ cupit, impedimenta.

Si viſus ſibi fuerit ad terram acceſſiſſe propiùs, vt adpelleret: tanto leuior, eius adflictio fiet, quanto ad terram propiùs adpulerit.

Si quis videre viſus fuerit oneratam nauim frumento, vel leguminibus: ſollicitudinem & adflictionem diuturnam inueniet, copiæ frumenti & leguminum reſpondentem. Non perit tamen. Nauis enim ſalutem denotat.

Si quis viſus ſibi fuerit ædificare nauẽ mercatoriã, arcanæ rei cauſſa quoſdam homines conuocabit. Atque hoc ipſum quoque viſum nõ niſi maximis offertur.

Quòd ſi nauim hanc ad animi ſui lubitum perfeciſſe viſus ſibi fuerit, etiam ipſe deſiderium ſuum in omnibus rebus explebit.

Si quid deerat: & ipſe negotia ſua tardiùs expediet, pro ipſius operis modo.

Si

Si viſus ſibi fuerit in terra ſicca velis explicatis nauigare, ſollicitudinem lõgam in exigui mométi expeditione quadam inueniet, & extrema ipſius ad interitum tendunt.

DE NAVIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum rationibus.

CLXXX. SI quis viſus ſibi fuerit naui flumen aut mare tranſieciſſe, nauis hæc corpus ipſius ſignificat, & ſecuritas ab hoſtibus portenditur.

Quòd ſi nauis periclitata eſt, ſalutem ac valetudinem ſuam, ægritudine correptus, amittet.

Si directò tranſiecit, in profeſſione quiſq; ſua ſucceſſus habebit proſperos.

Si quis viſus ſibi fuerit naues mercatorias comparaſſe, ſeruorum domeſticorum opera locuples & opulentus erit.

Ac ſi quidem videre viſus fuerit naues periclitatas, periculum ſeruis eius imminet, atque ipſe ad inopiam redigetur.

Si naues ſtruere viſus ſibi fuerit, acceſſio diuitiarum pro ratione ac numero nauium, quas ædificaturum ſe ſperat, portenditur.

DE

DE NAVIBVS REGIIS. CLXXXI.

NAVES regiæ bello deſtinatæ, ad bellum interpretando referuntur.

Nauis, in qua rex ipſe ſedet, ad Auguſtæ perſonam refertur.

Si quis dromonem regium vel rimas egiſſe vel in periculo conſtitutum, videre viſus fuerit: hoc ad interitum Auguſtæ ſpectat.

Si rex videre viſus fuerit dromonem ſuum aquam haurientem, aut alio modo quodam adfectum: in morbum Auguſta incidet, prout ipſa nauis adfecta fuerit.

Si dromo regius egiſſe rimas viſus fuerit, ad ipſius vſque regis ſellam: Auguſta morietur.

Si nouum dromonem ſtruxiſſe viſus ſibi fuerit, pro modo tincturæ illius, ac pulchritudinis, coniugem inueniet.

Si thronum in eodem illo nauigio conſtituiſſe, viſus ſibi fuerit: ex ea filium, hæredem regni, ſuſcipiet.

Si videre viſus fuerit thronum illum vel fractum, vel incenſum, vel alio quodam modo corruptum: hoc ad interitũ filij refertur. Si

Si videre viſus fuerit, dromonem ſuũ prorſus in mari defixum, in adflictionẽ & turpitudinem Auguſta incidet, pro ratione temporis, quo defixa nauis hæſit, neque tamen interibit.

Si plures ſibi dromones ſtruxiſſe viſus fuerit, peculiariter ſibi concubinas adquiret, eaſq; multum euehet.

Similiter ſi quid accidiſſe naui ſuæ, videre viſus fuerit: eius interpretatio ad Auguſtæ perſonam pertinebit.

Si videre viſus fuerit claſſem ſuam inſtructam, quæ ad bellum ſeſe mouerit, proſperamq; nauigationem nancta ſit: omnia pro modo proſperitatis in nauigando, feliciter ei cedent. Sin autem, contrarium accidet.

Si videre viſus fuerit nauium ſuarum vela tum ſublimiora, tum maiora facta, quàm priùs erant: pro eorum ratione ac modo, læticiam inueniet, & de hoſtibus victorijs potietur.

Si videre viſus fuerit eas ignem emittentes, ad incendendum naues alias, vel terras: quantum ſanè virium & efficacitatis ignis ipſe habuit, tantundem victo-

tiarum

riarum de hoſtibus reportabunt.

Si naues ſuas accenſas videre viſus fuerit, interitus eis imminet.

Si nouam claſſem multarum nauium condidiſſe viſus ſibi fuerit, pro earum numero validas aduerſus hoſtes ſuos copias rurſus coget.

Licet idem viſum alicui, quicunque tandem is ſit, oblatum fuerit: ad regem refertur.

DE PVTEIS, INDORVM, *Perſarum, & Aegyptiorum explanationes.* CLXXXII.

SI quis aquam putealem haurire viſus ſibi fuerit, eamq́ue limpidam: ſi quidem ipſemet puteum illum fecit, aurum à puella virgine cõſequetur, quod aquæ copiæ reſpondebit.

Sin aquam turbidam haurit, ab ea vexabitur, & in morbum incidet..

Si viſus ſibi fuerit alijs ex aqua puteali potum præbere, quæ vel limpida, vel turbida fuerit: per eam virginem alios aut locupletabit, aut adfliget.

Si quis viſus ſibi fuerit aquęduct⁹ quoſdam in ædes ſuas accepiſſe, atque alijs aquam

aquam inde impertiuiſſe: præter expectationem ex hæreditate quadam diteſcet, alioſq; viciſſim collocupletabit.

Atq; hæc aqua ſanè puteali præfertur, & ad eorum vitam ſpectat interpretatio, qui ædes illas inhabitant.

Si aquam eiuſmodi videre viſus fuerit exiccatam, hoc ad interitum pertinet.

CLXXXIII. DE AQVARVM SCATVrigine, *Indorum, Perſarum, Aegyptiorum interpretationes.*

SI quis viſus ſibi fuerit ad aquæ ſcaturiginem delatus, inde bibiſſe: ſollicitudinē & adflictionē inueniet, prout bibiſſe viſus eſt, modo locus ignotus fuerit.

Si videre viſus fuerit, quaſi de pariete, vel alio loco, vel domo quadam, vltra naturæ modum aqua ſcaturierit: eius loci incolæ ſollicitudinem & vexationem inuenient, pro modo ſcaturiginis. Plerunque nimirum hæc lamentationem & interitum portendunt.

Si collegiſſe copiam quandam illius aquæ viſus ſibi fuerit, calamitas pro aquæ collectæ modo diuturnior erit.

Sin eam exaruiſſe, vel euanuiſſe, per

quietem

quietem viderit: malum ipſum quoque ceſſabit.

DE CALIDIS AQVIS, INDOrum, *Perſarum, Aegyptiorumq́ rationes.* CLXXXIIII.

SI quis calidam bibiſſe viſus ſibi fuerit, indignationem alicuius, & adflictionem experietur: prout aqua feruere viſa fuerit.

Quantum enim ea, quę frigida eſt, boni portendit: tantùm aqua feruens aduerſi denotat.

Similiter ſi quis aqua calida viſus ſibi fuerit ablui, ærumnam minorem experietur.

Si vinum calida miſtum bibere viſus ſibi fuerit, à principe vexabitur.

Si viſus ſibi fuerit in calidis aquis obambulare: adflictionē in ſeruis habebit.

Si viſus ſibi fuerit os ſuum eluiſſe calida, familię ſuæ cauſſa dolorē experietur.

Si calida faciem lauit, indignatio populi portenditur, pro modo feruoris.

DE LAVACRO, EX PERſarum, *Indorum, & Aegyptiorum ſapientia.* CLXXXV.

BALINEVM per quietem viſum, adflictionis & doloris ſignificationem habet:

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit intraſſe balineum, lauandi cauſſa, idq; feruentiſſimum fuiſſe: pro modo feruoris, in adflictionem & ærumnam ſibi peculiarem incidet.

Si tantùm exutus veſtimentis, non etiam ingreſſus balineum, viſus ſibi fuerit: in adflictionem incidet, at illa diſſipabitur.

Si balineum duntaxat ingredi viſus ſibi fuerit, & perungi, & ablui: ſi diues eſt, in adflictione aurum ſuum amittet, pro modo amiſſorum pilorum.

Sin is, qui ſomnium habuit, adfligitur, aut æger eſt, aut in vinculis detinetur: ab hiſce malis liberabitur.

Sin ablui viſus ſibi fuerit aqua tepida, minorem & adflictionem, & ſollicitudinem inueniet.

Si lauerit aqua non nimis frigida, vexatione liberabitur.

Sin valde frigida, interpretatio erit eadem, quæ de feruente.

DE

DE AQVATIONE FACTA *per veſtes lineas, vel ea vaſa, quibus aqua contineri nequit.* CLXXXVI.

SI quis viſus ſibi fuerit aquam tuliſſe lineo veſtimento, vel alio vaſe, quo nequit aqua contineri: homini perfido committet aurum ſuum, aut in loco nõ tuto abſcondet.

Si per quietem videre viſus fuerit, aquã in eis ſaluam ſibi fuiſſe, conſeruabit & aurum, ſed magna cum trepidatione.

Sin effluxerit aqua, perdet aurum.

Sin ab aqua vas eiuſmodi ruptum videre viſus fuerit: aurum eius, vbicunque locorum fuerit, manifeſtabitur.

Si vas ipſum defodiſſe viſus ſibi fuerit, vnà cum aqua: in exitium incidet, ac hominibus erit ſpectaculo.

DE AQVA POCVLO *hauſta.* CLXXXVII.

POCVLVM ad perſonam mulieris refertur.

Si quis poculũ vitreum, aqua plenũ, ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit: vxorem accipiet, & liberos ex ea procreabit.

Nam quidquid vitreũ eſt, ad mulieris perſonam ſpectat.

Si poculum illud fractum videre viſus fuerit, aqua nihilo minus ſalua: mulier morietur, & partus viuet.

Sin aqua effuſa, vas ſaluum videre viſus fuerit, morietur infans, ſalua muliere.

Si vitreo caucalio viſus ſibi fuerit aquã populo adfundere: beneficus erit, & mercedem atque famam inueniet, pro modo effuſionis.

Si aquam fudiſſe viſus ſibi fuerit, & accepiſſe mercedem: nimirum mercedem ſuam iam habet, & infamia notabitur.

Si populo viſus ſibi fuerit aquam limpidam adfundere, de qua populus ſitiẽs hauſerit: ſi rex eſt, qui ſomnium habuit, homines vi coactos exhilarabit, ac proteret, populiq; princeps & iudex erit.

Si monacho tale viſum oblatum fuerit: doctor erit, & pluribus ſalutis auctor.

Sin aqua turbida fuerit, hęreſes & opiniones de Deo impias docendo ſeret.

CLXXXVIII.

DE AQVA IN DOMO *ſparſa, & tectorio ex Indorum ſapientia.*

SI quis aqua domum ſuam reſperſiſſe viſus ſibi fuerit, ſollicitudinem & adflictio-

flictionem inueniet, pro humectationis modo.

Sin eam madefeciſſe viſus ſibi fuerit, pulueris ſedandi cauſſa: calamitatem & ærumnam corrigere nonnihil videtur.

Si ſcopis domum ſuam ſordidatã purgaſſe viſus ſibi fuerit, & ſordes in locum quendam notum abieciſſe: ſi vir ampliſſimus eſt, opes ſuas ornabit, & alibi reponet.

Si plebeius, adflictione grauatus, & ſollicitudine: ab ijs malis liberabitur.

Similiter ſi quis viſus ſibi fuerit, araneas expurgaſſe de domo ſua: ſuis à peccatis quiſque repurgabitur.

Sin videre viſus fuerit, araneas adhæſiſſe veſtibus ſuis, aut faciei: pro modo telarum, ab araneis contextarum, adflictionem inueniet.

Si tectorio domum ſuam illinere viſus ſibi fuerit, ſi quidem tectorium album erat, & humidum: pro modo albedinis, & gaudium, & moleſtiam inueniet.

Sin nigrum, maximam tum adflictionem, tum ſollicitudinem inueniet.

DE LATERE, EX *Aegyptiorum diſciplina.*

CLXXXIX.

SI quis laterem paratum & ſiccum reperiſſe viſus ſibi fuerit, eumq; ſuſtuliſſe: rationes & facultates ſine labore ſuo congeſtas ab alijs inueniet, pro ratione lateris quem ſuſtulit.

Si quis feciſſe lateres viſus ſibi fuerit, ſi pauper eſt, cum labore ac moleſtia diteſcet: ſi locuples, diuitias ſuas ſtabiliet, ac in tuto reponet, cum labore tamen, prout humectatus fuerit.

Si domum opere latericio ſtruere viſus ſibi fuerit, acceſſionem opum, gaudiumq; mundanum conſequetur.

Si domum euerſam videre viſus fuerit, aduerſam fortunã in opibus ſuis experietur, eæq; manifeſtabuntur.

DE HVMECTATIONE VEſtimentorum, *ex Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum monumentis.*

CXC.

SI quis veſtimẽta ſua madefacta videre viſus fuerit, adflictionem atque ſollicitudinem inueniet, pro humectationis modo: & in ijs quidem perſonis, ad quas ſuprà veſtes ſingulas interpretãdo retuli-

retulimus. Quòd ſi etiam ad profectionem aliquam ſeſe parat, aut negotiorũ adminiſtrationem, impedietur.

Si carnem ſuam pluuia madefactam videre viſus fuerit, adflictionem vehementiorem & morbum inueniet.

Si calcei madefacti fuerint, adflictionem & ſollicitudinem inueniet ſeruorũ minoris momẽti cauſſa, nõ familiarium.

Si ad carbones humectas veſtes ſiccare viſus ſibi fuerit, ope principis labore moleſtiaq; ſua liberabitur, & res eius rectè conſtituentur.

Si ad ſolem eas ſiccaſſe viſus ſibi fuerit, in omnibus ſuis ęrumnis vel ſubleuationem à rege impetrabit, vel regis familiaritatem.

Si pauperi per quietem hæc oblata fuerint, is duntaxat exitus erit, vt regis, aut magnatis alicuius gratiam conſequatur.

DE NIVE, GRANDINE, GElu, *ex Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum rationibus.* CXCI.

NIx, grando, gelu, ærumnas, ſollicitudines, & tormenta portendunt.

Si quis locum aliquem, vel regionem niue tectam ex aliqua parte videre viſus fuerit, vbi cæteroqui more vſitato non ningebat: fertilitatem incolæ loci experientur.

Sin ipſum in populum nix ea decidit, ingens hoſtium multitudo, pro amplitudine loci, homines illos torquebit.

Si vſitatum iſtic erat, vt ningeret: caſus & durior, & grauior erit.

Similiter ſi quis hoc hyberno tempore fieri ſomniauerit, calamitas leuior erit.

Sin æſtate, grauior & acrior.

Si quis videre viſus fuerit grandinem alicubi delapſam, hoſtilem impreſſionem ſubitam expectet.

Si videre viſus fuerit grandinem, quæ frumenti hordeiq́; culmos læſerit: in eo loco, prout culmi fracti fuerint, etiam bellicæ cædes euenient.

Si arborum folia læſa fuerint, hoſtis bellum ibidem molietur, nec quidquã efficiet.

Si grandinem citò liquatam videre viſus fuerit, citò miſerijs illis homines liberabuntur.

Sin

Sin ea durabilis fuerit, pari modo & ærumna durabit.

Si grando nemini nocuit, à rege miſſi milites ibidem in foſſato degent, nec iniuriæ quidquam hominibus inferent.

Glacies, ſignificationẽ adflictionis vehementioris habet.

Si quis videre viſus fuerit, aquas in loco quodam glacie cõgelatas: hoc ipſum ad incolarum adflictionem, & mœſticiam, & ploratum, & ſterilitatem, prout ex gelu alſerint, interpretando referat.

Quòd ſi hæc oblata fuerint ei tempore hyberno, calamitas leuior erit: ſin æſtate, acrior atque grauior.

Si quis in medio domus ſuæ glaciem videre videatur, pro eius modo vexationem, & ploratum inueniet, & opes ſuas amittet.

Glaciei malum quibuſuis perſonis cõpetit.

DE STILLICIDIO TEGVLARUM *abſque pluuia, ex Perſarum diſciplina.* CXCII.

SI quis videre viſus fuerit, aquam de tegulis domus abſq; pluuia deciden-

tem: ſi quidem ex gelu eſt, ex ærumna liberationem portendi ſtatuat, pro modo ipſius fluxionis.

Sin ſponte ſua defluxerit, à rege vel domino loci nuntio quodam homines exitiali terrebuntur.

Sin ex aëre moderatè fluxerit, & limpida fuerit: incolæ loci illius à Deo lætitiam, miſericordiam, fertilitatem impetrabunt.

Sin vltrà quã opus eſſet, ac minimè limpida: ꝑ aquæ ipſius copia & impuritate, ſupplicijs à rege vel principe adficiẽtur.

Si quis videre viſus fuerit locũ, in quo pluerit cinere, vel humo, vel alia quadã ſpecie, abſque pluuia: boni quid incolæ loci à rege conſequentur, pro ratione & qualitate ſpeciei, qua pluit.

Si quis videre viſus fuerit locum ſole ſplendente madefactum, abſque nubibus: cuicunque tandem viſum hoc oblatum fuerit, ad perſonam regis interpretatio pertinet. Rex enim à Deo conſequetur auxilium, & victorias aduerſus hoſtes: atque incolæ lætabuntur. Sæpè nimirum cæleſti rore terra perfunditur

& ir-

& irrigatur, ſicut & à nubibus.

INTERROGATIO DE *ſomnio quodam.* CXCIII.

QVVM Amamus, ſecundus ille Protoſymbuli dux bellicus, Sereimum acceſſiſſet, eum in hunc modum conſuluit. In ſomnis videre viſus ſum, de omnibus totius vrbis tegulis abſque pluuia deſtillaſſe turbidam aquam, eamq; ab vniuerſis exceptam fuiſſe: me duntaxat, & meis hominibus exceptis. Reſpondit Sereimus, multos perduelles & prædones aduerſus Protoſymbulum ſe commoturos: ſed ipſum nihil ibi moliturum. Poſt dies decem Protoſymbuli cædes, & direptio facultatum ipſius accidit: Amamo nullam cum eis habente ſocietatem, ſicuti Sereimus futurũ prædixerat.

DE PISTRINO, ET CONFE- *ctione farinæ, ex Indorum monumentis.* CXCIIII.

SI quis viſus ſibi fuerit habere piſtrinũ, quod moleret: ex opere ſuo proſperitatem cum vita beata conſequetur, pro modo craſſitudinis & pulchritudinis ipſorum lapidum molarium, & capacitatis loci, quo loco piſtrinum ſtabat.

Similiter ſi quis viſus ſibi fuerit in alieno ſeruire piſtrino, à piſtrini domino cõmoda viuendi ratione beabitur, modo tamen illum adnoſcat. ſin autem, vitam quidem commodam & beatam præter expectationem inueniet, ſed priori nequaquam parem.

Si videre viſus fuerit piſtrini lapidem duas in partes fractum, ad mortem hoc illius, qui piſtrini dominus eſt, referat.

Si videre viſus fuerit adtenuatum, ac fruſtis quibuſdam deminutum: hoc ipſum, pro viſi ratione, referat ad victus hominis illius deminutionem.

Si videre viſus fuerit, vi cuiuſdam ablatum ſibi piſtrinum: in paupertate vitam finiet.

CXCV. EX PERSARVM ET ÆGYptiorum *diſciplina quiddam huic ſimile.*

SI quis viſus ſibi fuerit habere piſtrinũ, in quo aſinus robuſtus moleret: hoc ad hominis fortunam refertur, qui quidem & proſperitatem, & commodam viuendi rationem inueniet, pro ipſius aſini craſſitiæ.

Sin mulus, victum difficulter inueniet.

Eſt

Eſt enim difficilis & peruerſa muli natura.

Si quis videre viſus fuerit, quaſi bos obediens in piſtrino ſuo moleret: is in dignitate ſua quendam hominem ſibi ſubijciet, cuius opera victum inueniet. quanquam ita plerunque res comparata ſit, vt hoc quoque viſum alicui nequeat offerri, præterquam viro ampliſſimo, vel qui maior aliquando futurus ſit.

Si opera cameli, vel equi, molere viſus ſibi fuerit: victus ſui cauſſa cum bellicoſis hominibus pugnabit, & vincet, prout iſtæc animalia viſa fuerint tractabilia.

Si viſus ſibi fuerit, àquatica mola ſtructa, farinam confeciſſe: virum quẽdam maximum ſibi ſubijciet, pro modo fluminis, & per eum diteſcet.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt molæ ſtruerentur in fluminibus: viros maximos, pro modo fluminũ, in bellum mittet: ac ſi quidem ipſæ molæ fuerint in opere ſuo conficiundo efficaces, feliciter illi rem gerent, & ex alieno ſolo lucra ſecum auferent: ſin autem, diuerſus euentus erit.

Si

Si rex videre viſus fuerit euerſas à fluuijs molas ſuas, inſidiatores ac perduelles quoſdam in ipſo facto depræhendet, pro ratione magnitudinis ipſorum fluminum.

In homine quouis vniuerſè mola ſiue piſtrinum ad victum, agriculturam, & opes refertur: quæque vel bona in his, vel mala per quietem offeruntur, ad vitam pertinent.

CXCVI. DE VINO, ET POTVLENTIS, *ex Indorum rationibus.*

SI quis merum bibiſſe viſus ſibi fuerit, aut aqua dilutum vinum: pro hauſti modo, & aurum, & poteſtatē inueniet.

Si bibendo temulentus factus fuit, auro per iniuriam potietur, ampliſſimaq; dignitate, pro modo ebrietatis.

Sin abſque vino viſus ſibi fuerit inebriatus, hoc ipſum de poteſtate quidem accipitur, ſed quæ vana tandem erit.

Si rex viſus ſibi fuerit eſſe temulentus, poteſtate præditos in ordinem ditionemq; rediget, maximaque lætitia potietur, propter vinum.

Si viſus ſibi fuerit bibere vinum de ſacharo,

charo, quod [a] *zulapen* vocant: ſi quidem inebriatus fuerit, opes ac poteſtatem cũ labore moleſtiaq; inueniet, ꝓpter ignẽ: ſi non fuerit inebriatus, de opibus ſomnium duntaxat interpretetur.

a *Vulgò, zulapium.*

Si quis viſus ſibi fuerit bibere vinum ex vuis paſſis, & inebriatus fuiſſe: diuitias formidoloſas, ac poteſtatem à muliere conſequetur.

Vinum limpidum interpretati ſunt harum rerum periti de auri comparatione laboris experte, ac ardua.

Potus illi, qui facticij ſunt, propterea ſignificationem laboris habent, ac moleſtiæ, poteſtatisq; crimine carentis, quòd igne coquantur.

Si quis viſus ſibi fuerit cum aliquo rixari, propter vini potum in poculo: ſi nouit hominem, auri cauſſa tam litem, quàm lucrum inueniet is, qui vicerit. ſi non nouit, auri cauſſa cum hoſte dimicabit.

Si viſus ſibi fuerit pugnare poculi vitrei cauſſa, propter mulierem cum eo contendet.

Si vinum miſtum biberit, caſum in opibus ſuis aduerſum experietur, pro modo feruoris. Si

Si quiſpiã notus ei miſcuiſſe vinũ hoc viſus fuerit, per illum ipſum vexabitur.
Sin ignotus, per inimicum adfligetur.
Si quis in torculari calcare viſus ſibi fuerit, ac vinum conficere: magno cuidam principi ſeruiet, & adminiſtrationes inſignes eius fidei committentur.
Si quis videre viſus fuerit amnem vini fluentis, (nequit autem hoc in alium cadere, quàm regem ipſum, vel magnatẽ) ſi flumen ditionis ipſius eſt, potentiam maiorem adquiret, & bellum aduerſus hoſtes geret, ac à nemine omnium ſubigetur.
Sin alienæ ditionis flumen erat, ad eius dominum interpretatio ſpectat.
Si quis viſus ſibi fuerit acceſſiſſe propiùs ad huiuſmodi fluuium, vel ex eo quid hauſiſſe poteſtatẽ ei parem, quod ſumpſit, à domino fluminis accipiet.
Si quis viſus ſibi fuerit valde ſitire, in fide ſua proficiet, & proſperitatẽ in mundo conſequetur, ipſi ſiti reſpondentem.
Similiter ſi viſus ſibi fuerit edere, quũ eſuriret, ac ſatiari: diuitias & finem laboris inueniet, pro modo ſaturitatis.

Si muſtum in vaſe portaſſe viſus ſibi fuerit, opes abſque poteſtate conſequetur. Nam nemo fit temulentus ex vino recenti.

Si muſtum bibiſſe viſus ſibi fuerit, opes à muliere iucundas accipiet.

Si vinum è vaſe domi ſuæ videre viſus fuerit effuſum: & ærumnas, & lites, & indignationem, & detrimentum in domo ſua reperiet.

Si viſus ſibi fuerit collegiſſe vinum effuſum, turbidum, ipſiſq; cum ſordibus: diuturna ipſius erit adflictio, pro mora collectionis.

Similiter ſi aquam domi ſuæ videre viſus fuerit effuſam, adflictionem abſque indignatione reperiet, aquæ effuſæ reſpondentem.

EX PERSARVM ET ÆGYptiorum monumentis interpretationes conſimiles. CXCVII.

QVÆCVNQVE bibunt homines, & quæ ventrem ipſorum ingrediuntur, interpretationem lucri habent: & quæcunque tendunt ad temulentiam, poteſtatem denotant.

Si quis viſus ſibi fuerit bibere, nec inebriari: poteſtatem ſuam deprimet, & occultabit.

Sin viſus ſibi fuerit inebriatus, euehetur à principe, pro modo ebrietatis.

DE AQVIS, ÆGYptiorum rationes.

CXCVIII. SI quis aquã Nili bibiſſe viſus ſibi fuerit, eaq́; pota inebriatus: ab homine potente lucrum inueniet, ſine poteſtate tamen: pro modo illius, quod hauſit.

Si cum ſacharo aquã Nili bibiſſe viſus fuerit, proſperitatem & voluptatem per indicatam perſonam conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit ex aqua Nili vinum facticium confeciſſe, quod biberet: pro ratione adparatus ipſarum ſpecierũ, à magnatibus lætitia beabitur, impetrante hãc ipſius hominis ingenio & induſtria.

Si de aqua Nili, ſuas in ædes mediocrẽ copiam deriuaſſe, viſus ſibi fuerit: reſpõdentes aquæ deriuatæ diuitias, ab ampliſſimo quodam viro, vel ipſo rege, conſequetur: nec ipſe tantùm, ſed etiam tota hominis familia.

Si viſus ſibi fuerit cum faſcino Cleopatræ

træ vinum bibere, diuitias & poteſtatem inueniet cum vxore, prout ipſa vaſa pulchra fuerint.

Si dũ biberet, viſus ſibi fuerit adfectus aliquo malo, ventriſq; profluuiũ ſequutum fuiſſe: inutiliter opes ſuas amittet.

Si viſus ſibi fuerit à vino lęſus, intumuiſſe: diuitias tumori reſpõdẽtes, adquiret.

Si vinum factitium viſus ſibi fuerit parare, quo ad potum vteretur: verbis mendacibus principem circumueniet, vt ab eo felicitatem aliquam impetret.

Quòd ſi de hoc vino biberit, non ſine labore rem conficiet: ſin autem, diuerſus euentus erit.

Si ſitiens viſus ſibi fuerit ab alio potum poſcere, quem & impetrauerit: eius ope paupertatem ſuam cum opulentia commutabit, ſi quidẽm id, quod bibit, calidi nihil habuit.

Sin admiſtum aliquid calidi fuit, excuſationes contrarias ab illo accipiet.

Si quis ex vaſe viſus ſibi fuerit aquam bibere, ſumptam de manibus hominis mortui, ſibi noti: quicunque tandem is fuerit, citò morietur.

Similiter ſi viſus ſibi fuerit bibere ſumptam de manibus ipſius ſiceram, cum aceto: morbo extinguetur.

Si quis vinum acerbum bibere viſus ſibi fuerit, hoc nec ad opes, nec ad poteſtatem refertur: ſed ad quandam acerbitatem, & adflictionem, acrimoniæ vini reſpondentem.

Si potum facticium bibere, viſus ſibi fuerit: acerbitatem, potus ipſius inſuauitati reſpondentem, inueniet.

Si vinum de pomis confectum bibere viſus ſibi fuerit: vanam potẽtiam præ ſe feret, nullo cum fructu ſuo.

DE PALMIS, ET *earum fructibus.*

CXCIX.

PALMÆ, arbores, ad feminas generoſas, & regij ſanguinis, interpretando referuntur.

Si quis viſus ſibi fuerit per quietem palmetum ingreſſus, ibidem fructus palmarum decerpſiſſe, qui maturi fuerint: aurum & opes ex nobilibus feminis conſequetur, pro modo fructuum, quos decerpſit.

Sin fructus ipſe acerbus erat: qui ſomnium

nium habuit,magno quidem niſu beneficentiam earundem fæminarum impetrare conabitur, ſed adfligetur, & pro modo fructus, quem ſumpſit, cruciabitur: propter ipſius fructus acerbitatem.

Si viſus ſibi fuerit, ſumpſiſſe quid è theca ſâtionis palmarum: ſi rex eſt, aut magnatum aliquis, ex nobili fæmina ſobolem ſuſcipiet: ſin plebeius, à filio fæminæ nobilis & ampliſſimæ gaudio beabitur, pro ſati rami modo.

Sin abſtuliſſe folia viſus ſibi fuerit, per eaſdem fæminas ampliſſimam poteſtatem conſequetur, idq; propter acumen ipſorum foliorum: ſed exiguis tamen, modicisq; cum opibus.

Si de palmæ ſtipite corticem lanatum ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit: à fæmina diuitias ex parte, leuisque momenti, conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit aliquid de palma, quę exaruerit, fractum abſtuliſſe: pro eius modo, quod abſtulit, ex hæreditate mulieris alienæ diuitias inueniet.

DE ARBORIBVS, EX INdorum, Perſarum, Aegyptiorumq; diſciplina. CC.

NVx,arbor, tam Indica, quàm vulgaris, ad perſonam hominis ampliſſimi,ſenis,parci,refertur:propterea,quòd ipſe fructus & durus,& lapideus ſit.

Cupreſſus autem,ad ipſius regis perſonam,aut nobilis & formoſæ fæminæ.

Punica,ad virum nobilem,durum,auro abundantem: hoc quidem, propter fructum: durities verò, & moroſitas, propter arboris ſpinoſitatem.

Vitis,ad mulierem.

Olea,ad hominem hilarem,manſuetũ, (diuitem.

Pomus, ad perſonam mulieris, pro ratione nobilitatis& ſuauitatis fruct⁹ eius.

Arbor, in qua bambax ſiue goſſipium naſcitur, ad hominem condicionis humilis,& modicarum opum,refertur.

Arbor mali citrei, ad hominem nobilem & opulentum, propter fragrãtiam.

Pirus, ad hominem durum, & exiguas opes poſſidentem.

Quidquid alicui harum arborum accidere viſum per quietem fuerit, tam proſperum, quàm aduerſum,ad indicatas perſonas refertur.

Si quis viſus ſibi fuerit, arbore nuce

quaſſa-

quaſſata,fructum eius abſtuliſſe:diuitias cum labore ab homine parco conſequetur,quas alter ille recens adquiſiuit.

Si nuces in quodam loco viſus ſibi fuerit inueniſſe,ſi quantum inuenerit, ignorat: aurum theſauri veteris, pro modo ſomnij,reperiet.

Sin modum cognitum habet, aurum pro portione cõſequetur, cum tumultu.

Si nucis lignum inueniſſe ac ſuſtuliſſe viſus ſibi fuerit, rem vtilem inueniet ex hæreditate ſenis.

Si de punica malum abſtuliſſe viſus ſibi fuerit, modò dulce ſit, opes ab homine diuite impetrabit: ſin acidũ,pro acerbitatis modo adflictionem atque morbum ab infelici quodam conſequetur.

Si veſtis eius punicæ ſpinis implicata fuerit,&rupta: cum opulento quodam rixabitur, ac ſi quidem poſt implicationem factam,ramũ fregiſſe viſus ſibi fuerit, ad victoriam ipſius hoc ſpectat.

Si ſublatus in oleã, viſus ſibi fuerit eius fructũ decerpere:propter fructus ipſius acerbitatem,ab homine cęteroquin hilari & manſueto acerbè vexabitur.

Quòd ſi etiam de oliuis edit, pro modo manducationis earum dies ęrumnoſos & triſtes exiget.

Si abſtuliſſe viſus ſibi fuerit oleæ folia, ditabitur à felici & laudato viro, per veſtes.

Si goſſipium collegiſſe viſus ſibi fuerit, opes modicas ab homine nō admodum potente conſequetur, pro lanæ collectæ modo.

Si fructum vnà cum frutice ſuſtuliſſe viſus ſibi fuerit, ac in locum alium tranſplantaſſe: ſeruum obſequioſum & obedientem inueniet, ſiquidem ipſum fruticem retinuit.

Si punicam inueniſſe viſus ſibi fuerit, in hominem nobilem, exiſtimationis honeſtæ, diuitem incidet: propter fragrantiam, & fertilitatem eius arboris.

Si de folijs ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, ab eiuſmodi viro cum honeſta fama mediocres opes impetrabit.

Si de fructibus eius ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, filium conſequetur, ad nobilitationem opum atque generis ſui.

Si videre viſus fuerit fructum arboris huius

huius putridum factum, filio calamitas portenditur.

Si viſus ſibi fuerit arborem conſcendiſſe: ab ampliſſimo viro quodam euehetur, cuius præclara fama eſt.

Si de arbore eadem decidiſſe viſus ſibi fuerit, aut ab eius aliqua ſpina vulneratus: excidet hominis eiuſmodi gratia, & adfligetur.

INTERROGATIO DE *arbore* [a] *bericocia.* CCI.

QVIDAM conuento Sereimo, pluribus præſentibus, eum verbis hiſce conſuluit. Viſus ſum in ſomnis arbore conſcenſa, quam bericociam vocant, de fructu illius comediſſe. Reſpondit Sereimus, inuenturum à quodam proſperitatem, ac beneficentiam viri boni & opulenti experturum. Pluribus diebus interiectis acceſſit alius quidam, & iiſdem præſentibus Sereimum de eadē re conſuluit; quum diceret, ſe per quietem arbore conſcenſa, quę bericocia vocetur, viſum fructu illius veſci. Ad illa Sereimus: Adflictionem, ait, & tormenta inuenies. Qui adſidebant, ancipites

a Arbitror illam intelligi, quæ Armeniaca poma fert, de quib. Dioſcorides: ἀρμενιακὰ μῆλα καλούμενα, ῥωμαῖοι πρεκόκια καλοῦσι. *Nota vox hodie quoque Italis, bricochi.*

hærere, cur eiuſdem viſi diuerſam interpretationem protuliſſet. Itaque Sereimus: Conſuluit me prior, inquit, eo tempore, quo fructus ille maturus in arboribus erat: hic autem, autumni tempore. quam ob cauſſam interpretatio quoque diuerſa facta eſt. Quum rem in vtroque diligenter exploraſſent, id accidere depræhenderunt, quod futurum ſomniator prædixerat.

CCII.

DE OMNIGENIS FRVCTIbus ſiue pomis, *Perſarum duntaxat interpretationes.*

QVÆVIS poma, ſiue fructus arborũ, coloris citrei: pro modo coloris imbecillitatem portendunt, excepta citrei mali arbore. Nam illa ſubolis procreationem & partum, gaudiumq́; denotat. Eadem arbor ex colore nihil habet vitij.

Quæcunque arborum poma ſiue fructus acidi ſunt, adflictionem & ſollicitudinem ſignificant.

Si quis viſus ſibi fuerit ſuſtuliſſe poma citrei coloris, in morbũ leuem incidet.

Si ea viſus ſibi fuerit comediſſe, morb⁹ acer & grauis ſignificatur, pro modo coloris,

Si

Si alteri dediſſe viſus ſibi fuerit: tum is, qui accepit, ab eo, qui dedit, vexabitur: inq; morbum incidet.

Generaliter in omnibus arboribus, boni proſperitatisq; ſignificationem habet, fructus earum decerpere: duntaxat exceptis citrei coloris fructibus, & acidis.

Si quis viſus ſibi fuerit in autumno fructus arborum decerpere, hoc ipſum ad ærumnam & ſollicitudinem referat.

Ex ijs arborum fructibus, qui diuitias portendunt, ſi qui diu conſeruantur, & cæteris durabiliores atque pulchriores ſunt: opes quoque potiores denotant.

E diuerſo, vna nigra, tempore vindemiæ: vexationes atque torturas, à magiſtratu profectas, ſignificat: quum alba leuius quiddam portendat.

Si quis has extra vindemiæ tempus videre per quietem viſus fuerit, opes & lucra denotantur.

Si quis & albas, & nigras vuas, pariter decerpſiſſe viſus ſibi fuerit: hoc ipſum ad opes interpretando relatum eſt.

Si duntaxat albas, melius quiddam portenditur.

Si quis de vite botros ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, à muliere diuitias cõſequetur.

Sin eos decerpſiſſe viſus ſibi fuerit, ad vini confectionem: ad aliquam peruenire poteſtatẽ conabitur, nec voti compos erit.

Si videre viſus fuerit vitem propriam infrugiferam, vxorẽ ſterilem inueniet.

Sin vitem radicitus euelliſſe viſus ſibi fuerit, ſiquidem propriam, in ærumnam maximam incidet, & ab vxore mortis interuentu ſeparabitur. Sin alienam, in ſcortatione cum aliena vxore depræhendetur, & adfligetur.

Arbores, quæcunque non magnos ſtipites habent, ad vilis condicionis homines referũtur: prout ipſi ſtipites fuerint, & fructus.

CCIII. DE CVCVRBITA, PEPONE, *ac ſimilibus, eorundem rationes.*

SI quis cucurbitæ fruticem inueniſſe viſus ſibi fuerit, hominem breui tempore rerum potientem inueniet.

Quòd ſi ſub eius vmbra, viſus ſibi fuerit vmbrã captare: ſub homine, de quo dictum, requietem inueniet.

Si

Si fructum cucurbitæ viſus ſibi fuerit inueniſſe: diuitias vanas, cum oſtentatione ſpecioſa, & fama, reperiet.

Si eo veſci viſus ſibi fuerit, ſi morbo laborat, conualeſcet: ſin autem, valetudine bona frui perget.

Si crudis veſci cucurbitarum fructibus viſus ſibi fuerit, mentiendo de ſuis opibus homines fallet: quippe cucurbita magnam ad fertilitatem non augeſcit.

Si videre viſus fuerit factos aridos, mẽdacia cum veritate commutabit.

DE ROSA ET OCIMO, PERſarum, & Aegyptiorum interpretationes. CCIIII.

SI quis viſus ſibi fuerit, ab alio accepiſſe ocimum, ſiue baſilicum: ſollicitudinem & ærumnam inueniet, pro accepti ocimi copia.

Quòd ſi notus eſt is, qui dedit: per ipſummet, aut alium ei ſimilem, adfligetur: ſin autem, per inimicum.

Si ocimum ſeuiſſe viſus ſibi fuerit, idq́; ſuccreuiſſe: ſollicitudinem inueniet, ac torturam, cum miſeria.

Si videre viſus fuerit, in loco prædióve ſuo magnam ocimi copiam ſuccreuiſſe:

uiſſe: hoc ad domeſticorum ipſius ploratum & adflictionem referatur.

Quòd ſi & ipſe ſumpſit ab eis ocimum, particeps doloris erit: ſin autem, dolor ad ipſos duntaxat pertinebit. (ſpectat.

Roſæ interpretatio ad opes & lęticiam

Si roſas decerpſiſſe viſus ſibi quiſpiam fuerit, ab homine quodã improbo gaudium cõſequetur, propter roſarũ ſpinas.

Si videre viſus fuerit, domum ſuã roſis conſperſam: ſi rex eſt, qui ſomnium habuit, lætum nuntium accipiet, propter fragrantiam & rubedinem.

Si plebeius, gaudium & opes inueniet.

Si faſciculum roſarũ vnum accepiſſe, vel habuiſſe, viſus ſibi fuerit, olfaciendi cauſſa: ſubolem optatam inueniet, pro modo perceptæ delectationis.

Si duos, aut tres: totidem liberos procreabit. atque hoc ipſum in viri perſona ſolet euenire.

Si quis domum ſuam præter morem myrti folijs, & thuris arboris, & lauri, cõſperſiſſe viſus ſibi fuerit: ſi pauper eſt, à ſanctis hominibus opes adſequetur.

Si vir ampliſſimus huiuſmodi ſomniũ habue-

habuerit,quaſi de re ſolita:ſtatuat aliquã ſibi calamitatem portendi.

Si qs ramũ habere myrti viſus ſibi fuerit,ſi rex eſt,cũ indigna muliere rẽ habebit:ſin autem, liberos nullos procreabit.

Sin plebeius eſt,conſimilem res euentum in ipſius vxore ac liberis habebit.

DE TVBERIBVS, EX PERſarum,& Aegyptiorum monumentis. CCV.

TVBERA ad ignobilis fæminę perſonam referũtur, idq́; propterea,quòd neque folia ſuperiùs habeant, neque radices inferiùs agant.

Si quis tuber vnum inueniſſe viſus ſibi fuerit, vel duo, vel tria: ignobiles fæminas inueniet.

Si ad decem vſque tubera reperiſſe viſus ſibi fuerit, etiam horum interpretatio refertur ad mulieres ignobiles.

Si plura,vel nullo definita numero, videre viſus fuerit: pro eorũ numero, malis à mulieribus aurum conſequetur.

Si quis viſus ſibi fuerit,accepiſſe tuber vnum,cum alio tubere paruo:fęminam cum filia ſimili accipiet.

Si aſſata tubera comedere viſus ſibi fue-

lamq; famam inueniet: propter horum fætorem.

Si non comediſſe, ſed geſtaſſe viſus ſibi fuerit: miſeria minor erit.

Si ea viſus ſibi fuerit, alij noto dediſſe: pro modo datorũ, ab eo, qui dedit, dies ærumnoſos is habebit, qui acceperit.

Si cocta quis edere viſus ſibi fuerit, à magiſtratu vexationem experietur, propter ignem illum lenem.

Si viſus ſibi fuerit apio veſci, aut . . . . ſiquidem æger eſt, conualeſcet: ſin autẽ, mediocrem proſperitatem inueniet.

Si quis fabas, aut lentem, aut cicer, aut lupinũ inueniſſe viſus ſibi fuerit, aliúdve tale quidpiam: pro inuentorum modo & menſura, in vexationem & ſollicitudinem incidet.

Lupinum ſolum, acerbiorem habet interpretationem cæteris omnibus, propter amarorem.

Si quis hæc in domo ſua videre viſus fuerit effuſa, pro modo illorum rixam & acerbitatem domi ſuæ reperiet.

Si coctis veſci viſus ſibi fuerit, ꝓ modo mãducationis in adflictionẽ & morbum incidet.

Piſum & ſeſamum, ad opes & aurum interpretando referimus. Seſamum tamen nobiliùs eſt, propter oleoſitatẽ ſuã.

Si quis hæc viſus ſibi fuerit accepiſſe, vel habuiſſe copiam horum aliquam, vel in domo ſua condidiſſe, vel ediſſe: per monetariam auro potietur, & opibus, & gloria, pro copiæ modo: & incrementum ei portendent.

CCVII. DE PIPERE AC *ſinapi.*

GENERALITER in quauis perſona piper ad rixas, & lites, & gladios, & adflictiones refertur. Sinapi verò, ad morbum, & ærumnam, & ploratum, ſicut & cepæ.

Si quis piper inueniſſe viſus ſibi fuerit, vel eius aliquam habere copiam: lites & adflictiones tam domi ſuæ, quàm foris inueniet.

Si piper ediſſe viſus ſibi fuerit, à magiſtratu ſupplicio multabitur, pro manducati piperis modo, & eiuſdem acredine.

Si ad libram piper mercari viſus ſibi fuerit, pro menſura piperis homines ad rixas incitabit.

Si

Si grana ſinapi reperiſſe, vel ſuſtuliſſe, viſus ſibi fuerit: pro eorum copia, morbum & adflictionem inueniet.

Si cum cibis ea viſus ſibi fuerit ediſſe, morbum & ploratum inueniet, acrimoniæ illorum reſpondentem.

Si paraſſe ſinapi viſus ſibi fuerit, ad veſcendũ: multos accuſabit, & detrimento adficiet. ac ſiquidem & ipſe comederit, adflictionis particeps erit.

DE [a]MEDICARIO, EX PERſarum diſciplina. CCVIII.

a Puto intelligi herbam Medicam à veteribus dictam.

MEDICARIVM ad opes & incrementum perſonæ refertur. Nam vbi ſemel ſatum fuerit, ad annos ea cultura ſeptem ſufficit.

Si quis medicario viſus ſibi fuerit agrũ ſuum conſeuiſſe, de ſuis laboribus commodam beatamq; vitam inueniet.

Si videre viſus fuerit, in eodem agro medicarium feliciter proueniſſe: diuitias ingentes, & fidem bonam inueniet.

Si viſus ſibi fuerit in theſauris ſemen eius occluſiſſe, minore cum labore nobiliores opes conſequetur.

Si triturare medicarium viſus ſibi fuerit, vt ſemen eius accipiat: per monetariam & aurum, & opes inſignes conſequetur, pro ſeminis collecti copia.

Si ſatum parum feliciter prouenitſſe, viſum ei per quietem fuerit: ſpes eum ſua fruſtrabitur, & in paupertate vexabitur.

Si viſus ſibi fuerit ipſemet veſci medicario, pro modo manducationis ei calamitas hoc viſo portenditur.

CCIX. DE RAPHANIS ET DAVcis, *ex Indorum rationibus.*

SI quis viſus ſibi fuerit veſci raphanis, opes minimas & inutiles adipiſcetur, & ad populum mendax & infamis erit, odiumq; promerebitur, propter fætorem ructus.

Si quis adlatos ſibi raphanos, videre viſus fuerit: ſi rex eſt, infauſtum breui nuntium accipiet, pro manducati raphani copia.

Si plebeius, rixam & pugnã inueniet.

Si quis aliquos in menſa videre viſus fuerit adpoſuiſſe raphanos: ſi rex eſt, rixam inueniet, ideoq; conſiliarios ſuos conuocabit.

Si

Si plebeius, rixam domi ſuæ reperiet.

Si raphanos ſerere, vel tranſplantare viſus ſibi fuerit: malas res molietur, & calumniator atque maledicus erit.

Si daucum edere viſus ſibi fuerit, opes exiguas cum ægritudine reperiet: illas quidem, propter dulcedinem: hanc verò, ratione coloris citrei.

Si coctũ edere viſus ſibi fuerit, in morbum minimè diuturnum incidet, propter celeritatem coctionis.

Si vinum è daucis bibere viſus ſibi fuerit, ita quidem, vt inebriaretur: reſpondentem ebrietati potentiam cum laboribus & morbis inueniet.

Si minimè viſus ſibi fuerit ebrius factus, in adflictionem & ęgritudinem potui reſpondentem incidet.

DE AGRIS, QVI SERVNtur, *& ſationibus, eorundem rationes.* CCX.

AGRI conſiti ad actiones hominum referuntur.

Si quis ergo per quietem viſus ſibi fuerit notum quoddam prædium frumento conſeuiſſe, quod germinauerit, & bellè quidem, idque tempore germina-

tioni cõueniente: ſiquidem is, cui viſum hoc oblatum fuit, è numero fideliũ eſt, ac religioſorum, aut etiam ſolitudinarius: ad actiones eius in cultu numinis diuini ſomnium refertur.

Sin agricultor ille plebeius eſt, in profeſſione negotioq; ſuo quiſq; mutationem experietur.

Si quis videre viſus fuerit in loco & regione quadam incognita, maturos ad meſſem agros: ſi princeps eſt, aut rex, euẽtus ſomnij ſpectabit ad collectionem & adparatum populi, belli gerendi cauſſa: proq; maturitate meſſis, mature cædentur. Sin aliqua tarditas interuenit, pro eius ratione cædes quoque tardiùs eueniet.

Si quis plebeius hoc videre viſus ſibi fuerit, opes quiſque cum labore conſequetur.

Si rex in eodem agro vel meſſe fieri, vel iam factam videre viſus fuerit: atq; ſecum ipſemet cogitauerit, agrum illũ ſuum eſſe: breui de clade populi ſui cognoſcet. Sin alienum, de cædibus extraneorum nuntium accipiet.

Quòd

Quòd ſi per quietem oblatum regi viſum fuerit, quaſi de culmis reſectis ei manipulos quidam adtulerint: ſi quidem ipſius erant, populus eius iugulabitur, & pro manipulorum multitudine vincti peregrè abducentur: ſin alieni, captiuos ipſe accipiet, pro modo multitudinis manipulorum.

Si quis viſus ſibi fuerit ſolum habere tenue, cuius nulli prouentus fuerint: ſi de numero fidelium eſt, ac religioſorũ, ſterilitatem bonarum actionum in ſeipſo denotari ſciat.

Si plebeius eſt, breui ſpem opum, quã fouebat, perdet.

Si quis viſus ſibi fuerit agrum hordeo conſitum habère, quod triturauerit: & opes, & corporis robur adquiret.

Si frumenti meſſem feciſſe copioſam viſus ſibi fuerit, opes diuturno labore conſequetur, propterea quod laborioſè panis conficiatur.

Si quis habere farinam viſus ſibi fuerit, diuitias nobiliores & laudabiliores nanciſcetur, quam quę per frumentum, & hordeum, & bolum portenduntur.

Nam bolo debilior ineſt interpretatio, propter ignem.

Si quis habere viſus ſibi fuerit agrum ſeſamo conſitum, vel aream ſeſamo plenam: maiora ſibi diuitiarum incrementa portendi ſciat, quàm per ea, quæ recenſuimus.

Si agrum milio conſitum videre viſus fuerit, diuitias milij copiæ reſpõdentes, & læticiam inueniet: ſed imparem ſignificationi ſeſami.

Si viſus ſibi fuerit oryzam habere, diuitias magna cũ rixa, litigatione, tortura conſequetur: propter moleſtiam, quæ in excorticatione oryzæ deuoranda eſt.

Si oryzam edere viſus ſibi fuerit, opes eius de maioribus etiã malis prouenięt.

Si quis viſus ſibi fuerit aliam leguminis ſpeciem ſeuiſſe, atque alterius deinde ſpeciei meſſem feciſſe: ſi quidem hæc fuerit deterior, & qui ſomnium habuit, è numero fidelium eſt: in fide ſua quiddam aduerſi experietur. ſin plebeius eſt, ſpes eius, quam in profeſſione quiſque ſua fouet, voto non ſatisfaciet. ſin demeſſa ſpecies altera melior fuerit, euen-

tum

tum res ea proſperum ſortietur.

DE AGRO, ET SATIONE, *ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.* CCXI.

OMnis ſatio multipliciter ad expectationem opum refertur.

Si quis igitur aliquid ſeuiſſe viſus ſibi fuerit, atque hoc enatum fuiſſe feliciter: opes & ſpes ipſius eum minimè fallent. ſin autem, diuerſum accidet.

Si de area nihil collegiſſe, præter paleas, viſus ſibi fuerit: opes abſque labore inueniet. ſin plus frumenti, quàm palearum, collegit: ſplendidiores quidem diuitias adquiret, ſed maiore cum labore.

ÆGYPTIORVM RAtiones conſimiles. CCXII.

SI quis viſus ſibi fuerit agrum habere lino cōſitum, ſi quidem id pulchrum eſt, & iam adultum: diuitias & gloriam coram hominibus inueniet, propter veſtitum qui de lino conficitur.

Si quis præter morem habere viſus ſibi fuerit arundinetum calamorum dulcium, diuitias optatas & ampliſſimas adipiſcetur, pro arūdineti modo & magnitudine.

num accepiſſe,proſperitatem ab eodiui tiasq́; conſequetur,pro dati fœni modo.

Si fœnum ſuum vendidiſſe viſus ſibi fuerit auro, vel argēto: per adflictionem & contentionem diuitias ſuas amittet.

Spina,virum peruerſum& malum denotat, pro ſpinarū diuerſitate: exceptis tamen ſpinoſis arboribus frugiferis, de quibus antea dictum. Nam eæ relatæ ſunt ad potentiam & ſplendorem hominum. Si quæ malæ ſunt, impotentem, & improbum, & alios vexātem denotant.

Si quis implicatum ſe ſpinis videre viſus fuerit, dolorem & adflictionem inueniet, implicationi reſpondentem.

Si ſpinas adhæſiſſe veſti ſuæ, videre viſus fuerit: pro earum,quæ adhæſere,numero: ſollicitudinem ac diſtractionem experietur.

Si viſus ſibi fuerit à ſpinis,quum nudus incederet, pedes in itinere læſus: ſi vir ampliſſimus eſt, aut qui verſatur in expeditione: pro accepti vulneris modo vulnerabitur.

Si plebeius, in profeſſione quiſque ſua impedimentum experietur.

CON-

CCXIIII. CONSIMILES EX *Indis rationes.*

PLERAQVE de ſpinis viſa nocturna, de fidei ſæpenumero lapſibus intelliguntur.

Si quis à palmarum ſpinis vulnerari viſus ſibi fuerit, à mulierculis nobilibus & ampliſſimis oppugnabitur & adfligetur, pro modo punctionis ſpinarum.

In vniuerſum quęuis ſpina denotat adflictionem, pro modo punctionis & vulneris.

CCXV. DE VIRGA SIVE BACVLO, *ex Perſarum, Indorum, & Aegyptiorum diſciplina.*

VIRGA ſiue baculus, interpretando refertur ad virũ nobilem, pro modo nobilitatis & roboris ipſius ligni.

Si quis baculum geſtare, vel ei viſus fuerit inniti: talem virum ſibi cõciliabit, ad amicitiam, gloriam, atq; robur ipſius.

Si videre viſus fuerit baculum ſuum fractum, vel fiſſum: ſi rex eſt, dilectum ſibi validumq; ſeruũ amittet. ſi plebeius, amittet hominem, cui maximè fidebat.

Si putruiſſe baculus per quietem viſus ei

ei fuerit, ſi rex eſt, ad eam perſonam refe renda calamitas, de qua modò dictum: & ſimilis in plebeijs interpretatio recipienda.

Si rex aliquem virga percuſſiſſe viſus ſibi fuerit, per hominem quēdam ſuum benè de illo merebitur qui pcuſſus fuit.

DE ARBORVM FRVCTIbus, *explanationes Perſarum.* CCXVI.

SI quis fructus ex arboribus decerpere viſus ſibi fuerit, à viro potente diuitias conſequetur, & arbori, & collectioni fructuum reſpondentes.

Si ſedere ſub arbore viſus ſibi fuerit, & abſque labore fructus colligere: ſine vlla ſollicitudine diteſcet.

Si videre viſus fuerit, quaſi arbor ipſa inclinata flexaq; decerpendi copiam ei faceret: ſi rex eſt, aut vir ampliſſimus, comitabuntur atque ſatellitio ſuo ſtipabūt eum viri, prout arbor ipſa ſemet inflexerit: ſi plebeius, gratiam & poteſtatem populi alicuius impetrabit.

DE ILLORVM COLLOquijs, *quæ à natura loqui nequeūt: Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum rationes.* CCXVII.

SI quis videre viſus fuerit omnia ſecū colloquentia, quibus natura loquendi facultatem nō dedit: ſi rex eſt, aut vir ampliſſimus, aut dux bello ſtrenuus: gaudio potietur, & hoſtium victorijs: tantūque conſequetur admirationis, quātum eſt in rerum mutarum, quibus cum ſermones habet, colloquio miraculi.

Si quis cum arbore, vel iumento, colloqui viſus ſibi fuerit: auri & opum vim magnam inueniet, quicunque tandem hoc ſomnium habuerit.

Si quis viſus ſibi fuerit colloquutus cū bellua quadam, vel ſerpente, vel animali ſimili: hoc ipſum ad victorias de hoſtibus ſuis referat.

Nam belluæ, ac ſerpentes, inimicitias cum hominibus exercent.

Similiter ſi cum auibus quibuſdam viſus ſibi fuerit colloquutus: ad opes hoc ſuas referat, propter pennas.

DE VESTITV, EX *Aegyptiorum diſciplina.*

CCXVIII. SI quis vſitata veſtimenta nigra geſtare viſus ſibi fuerit, læticiam indumento reſpondentem inueniet.

Sin

Sin hoc veſtimentum ei non erat vſitatum, in adflictionem incidet, laxitati reſpondentem.

Si ſubuculam nigram geſtare viſus ſibi fuerit, vehementiùs adfligetur.

Conſimiliter in omnibus veſtimentis, ad quas perſonas ſingula ſuperiùs relata ſunt: in eis euẽtum ſortietur & adflictio.

Similiter ſi quis videre viſus fuerit, qui veſtes nigras geſtare cõſueſſet, amictum albo ſe pallio: ſimulque ad ignominiam hoc ſuam reputauerit: in profeſſione ac negotio quiſque ſuo, ad deteriora ſeſe conuertet. Nam quæ albi coloris ſunt, ad ornatum quidem referuntur: ſed hæc interpretatio propter hominis conſuetudinem locum habet. Itidem ad ærumnam, quæ nigra ſunt, ſpectant: ſed hæc interpretatio propterea traditur, quod præter conſuetudinem aliquid fiat.

Si quis diuerſas veſtes, vno duntaxat colore tinctas, geſtare viſus ſibi fuerit: à rege, vel loci principe vexabitur.

CCXIX.

DE [a] CAMYLAVCHIO, *Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum explicatus.*

[a] *Id eſt, faſcia ſiue inuolucro capitis, ad collum vſque tẽdente. idem ſup. cap. 131.*

Si

SI quis viſus ſibi fuerit geſtare camylauchium,ijs conſimile,quæ ab omnibus vſitato more geſtantur: hoc ad caput, quod ipſo ſuperius eſt, interpretando refertur. ac ſi quidē viſum fuerit eius capiti rectè conuenire, ſimiliter & ipſi cum capite ſuo rectè conueniet: ſin autem,diuerſa erit ratio. Significat enim, hunc hominem capiti ſiue magiſtratui ſuo diſplicere.

Si quis videre viſus fuerit camylauchiū ſuum ſordidatum: adflictionem reſpondentem ſordibus, in capite ſuo videbit.

Si ruptum videre viſus fuerit,aut inueteratum:eôdem calamitatem referat.

Si decidiſſe viſum fuerit: à capite ſuo, cui ſubiectus eſt,ſeparatur.

Si direptum ab ignoto quodam, ſuperior ille moritur: ſin à noto, per illū ipſū, aut alium ei ſimilem ab ipſo ſeparabitur.

Si viſus ſibi fuerit geſtare camylauchium obductum pelle felis, aut vulpis, aut animalium hiſce ſimilium:caput improbum habebit, tam ratione fidei, quā rerum mūdanarū reſpectu:idq; propter fraudulētam horū animalium naturam.

Si

Si viſus ſibi fuerit accepiſſe camylauchium præter conſuetudinem, dignitatis eminentiam conſequetur, pro modo pulchritudinis eius.

Si album camylauchium accepiſſe viſus ſibi fuerit, coram hominibus decus & læticiam inueniet.

Si praſinum, ſublimitatem & celeberrimum nomen in fide ſua reperiet.

Si rubrum, gaudij ſignificationē habebit.

Itidem de cæteris ſtatuendum coloribus, prout eorum interpretationes ſupra ſunt expoſitæ.

Si quis de purpura regis camylauchiū geſtare, viſus ſibi fuerit: à rege dignitatē & honorem conſequetur.

Si maximum fuerit hoc camylauchiū, plus ei boni proſperitatisq; portenditur.

Camylauchium regis ad Auguſtam refertur.

Si rex viſus ſibi fuerit recens accepiſſe camylauchium, ſi Auguſta caret, nouā accipiet: ſin habet Auguſtam, marem procreabit.

Et quidem ſi camylauchium plures colores habet, aduerſum quiddā ipſius deſiderijs portendit.

Si conſuetum camylauchium geſtare viſus ſibi fuerit, gaudium ad ſubolem iam ante ſuſceptam, & ad ipſam Auguſtam ſpectabit.

Si rex camylauchiũ ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, vt ſeſe tegat, & muniat à pluuia, vel ſole: contra hoſtes tropæa ſtatuet, & quidẽ victoria tegumento reſpondebit.

Si camylauchium regi per quietem viſum fuerit eſſe de pellibus, hoſtium diuitias adquiret. Quippe ferarum exuuiũ ad opes hoſtium refertur.

DE VESTIBVS VIRGATIS,

CCXX. *Perſarum, & Aegyptiorum rationes.*

INTERPRETATIO virgatarũ tunicarum ad perſonam nobilem, vel ad exiſtimationem honeſtam referri debet.

Si quis præter morem viſus fuerit ſibi, ſumere veſtem virgatam: & nobilitatẽ, & gaudium illuſtrius conſequetur.

Si coloris veneti fuerit, maiores ad opes perueniet.

Si citrei, morbum duplicem denotat.

Si virgata veſtis & nigra pariter erat, & alba: dedecus & adflictionem ſignificat, propter interpretationem duplicem.

Vir-

Virgatæ veſtes de metaxa factæ, diuitias alijs ſolidiores ſignificant: vt cæteræ, tenuiores.

De lanis factæ, copioſiores & maiores his omnibus opes portendunt.

Itidem veſtes operij Phrygij, quæ vſia vocant, ad opes indicatis abundantiores referuntur.

Si quis igitur vſiũ geſtare viſus ſibi fuerit aureum, infamiam & adflictionẽ inueniet, auri copiæ reſpondentem.

Sin vſium lactei coloris, aut venetum: per ſignaturam ſiue inciſuram argenti diuitias adquiret, colori reſpondentes.

Sin vſium de diuerſis coloribus, & citreum: neruis cruciabitur, pro colorum multitudine.

Si viſus ſibi fuerit vſium geſtare, diuitias vndecũque collectas à pluribus inueniet, propter ipſius tunicæ opus acu variegatum.

Si vſium rubras quaſdam quaſi bullas habet, per monetariam ſiue ſignaturam diuitias, bullarũ numero reſpondentes, conſequetur: modo res inuſitata fuerit. ſin vſitata, diuitiæ minores erunt.

CCXXI. DE VERBERIBVS SIVE FLAgris, *Perſarum & Aegyptiorum rationes.*

SI quis viſus ſibi fuerit neruis ab aliquo noto cæſus, pro modo verberum ex auri ſignatura quæſtum faciet.

Si cum poteſtate is eſt, qui percuſſit: hanc ipſam quoq; cũ eo communicabit.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt neruis quiſpiam cæderetur; qui cæſus fuerit, ingenti lætitia diuitijsq; potietur, pro numero verberum.

Similiter ſi rex ipſe percuſſerit aliquẽ ſuper mãclauia[a] vel charzania, percuſſus ille celeberrimam & ampliſſimam dignitatem ab eo conſequetur.

a Horum & infrà mentio, ſub finem, cap. 249.

Si virga rurſus ipſemet aliquem manu ſua, percuſſerit: is qui percuſſus eſt, ab homine ſecundùm regem primo, rege ſciente ac volente, lætitia poteſtateque beabitur.

Si gladio rex aliquem percuſſerit, is qui plagas accepit, ſi ſeruus eſt, à rege emancipatur: ſi pauper, diteſcet: ſi diues, aut vir ampliſſimus, magis ac magis eũ rex honorare perget: prout ſcindi ac vulnerari viſus ſibi fuerit.

Si

Si gladius nullam ſcindendi vim habuit, nec ſanguis emanauit: in omnibus, quæ diximus, lætitia minor erit.

DE LANA, METAXA, ET *goſsipio, rationes Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum.* CCXXII.

SI quis veſtem geſtare viſus ſibi fuerit, habētem goſſipij loco metaxā: ſolitis diuitijs implebitur, pro metaxæ copia.

Si metaxas plurium colorum, vel coloris vnius, citreis duntaxat exceptis, inuenire viſus ſibi fuerit: opes his reſpondentes conſequetur. Si tamen citrei coloris fuerint, vnà cum opibus & ærumnam, & morbum habebit.

Si tunicæ pars interior erat lanea, tempore hyberno: qui ſomniū habuit, gaudio potietur: ſin æſtate, cum adflictione diuitias inueniet, prout lanæ modica fuerit copia.

Si quis lanam de ouium tonſura videre viſus fuerit, à maximis viris fidas & ſtabiles diuitias accipiet, propter ouis ipſius cornu.

Si viſus ſibi fuerit inueniſſe goſſipium, à viris mediocribus opes iſtis minores

conſequetur. Nam lana vilius eſt goſſipium.

Lana generaliter intepretationem auri puri habet.

Pili & lanæ caprarum, diuitias cum morbo portendunt. ac quis indutum ſe his videre viſus fuerit, diuitias viliores cũ labore conſequetur, propter caprarum petulantiam.

Si lanam leporinam videre viſus fuerit, pro eius copia diuitias à meretrice cõſequetur, idque propterea, quod ſexu duplici lepores ſinguli præditi ſint.

Si linum inueniſſe viſus ſibi fuerit, idq; pexum erat, pro eius copia vitam laboribus inueniet obnoxiam, propter eas moleſtias, quæ in conficiundo lino ſunt exanclandæ. Sin erat impexum, auro minore cum labore potietur.

Si linum cũ ſuis lignis videre viſus fuit, cruciatum his reſpondentem inueniet.

Similiter ſi videre quis viſus fuerit, inueniſſe ſe congeſtum quiddam ex omnibus hiſce ſpeciebus indicatis: qui ſomnium habuit, opes atq; negotiationem inueniet, quæ horũ copiæ reſpondebũt.

DE

DE EXPANSIS IN DOMO tapeiibus, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina. CCXXIII.

SI quis recens factos tapetes in ampla capaciq́; domo ſternere, viſus ſibi per quietē fuerit: diuitias gaudiūq́; mūdanū adipiſcetur, pro modo elegātiæ, amplitudinis, & operis tapetū ipſorum. Præterea mutationem dignitatis ad ſtatum ampliorem, cum vita beata portendit.

Si tapetes erāt veteres, diuitiarum con ſimiliter incrementum, lætitiæq́; conſequetur, abſque mutatione dignitatis.

Strati tapetes ijs, qui clauis adfixi ſunt, interpretationem proſperiorem habēt.

Si quis adfixos clauis tapetes abſtuliſſe viſus ſibi fuerit, & in locum quēdam incognitū tranſtuliſſe: hoc ipſum de morte ſua interpretator, quod hora proſperitatis ipſius necdum venerit.

Si moram feciſſe viſus ſibi fuerit, dum eos ſterneret: adhuc & gaudium, & opes mundi ſperet.

Si rex, aut magnatū quiſpiam, viſus ſibi fuerit factos recēs in ædibus ſuis tapetes ſtrauiſſe: hoc ipſū ad nouæ lætitiæ victo-

riarumq; dilatationem referat. Sin ij veteres erant, negotium quoddam ei ſuccedet, de quo dudũ ipſe ſecũ meditatur.

Sin imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt auferrentur: artationem diuitiarum ſuarum, & auri, cum ærumna, interpretator.

Si tolli iuſſerit, ac tapetes ipſi vel putruerint, vel in fruſta cæſi fuerint: imminet ipſi vitæ finis.

CCXXIIII. DE PVLVINIS, ET MAPPIS, *ſiue mantilibus, Perſarum & Aegyptiorum declarationes.*

OMNES puluini, cum mantilibus, ad ſeruos referuntur.

Si quis videre viſus fuerit maxillarium, quod vocant, elegantiùs factum, quam priùs erat: de primæ auctoritatis ſeruo voluptatem percipiet. Sæpenumero quoque de concubinis hoc accipitur.

Similiter ſi videre viſus fuerit, idẽ hoc maxillarium furto ſibi ablatum, vel laceratum: ad perſonas indicatas ipſe caſus pertinebit.

Puluinar etiam de inferiore ſeruo intelligitur, & quidquid de hoc alicui fuerit oblatum, vel boni, vel mali: ſuum ſortietur euentum. Map-

Mappæ de omnibus ſeruis accipiũtur, pro cuiuſque diſcrimine.

Nam ſi faciei mappa per quietem oblata fuerit, ad ſeruum domino magis familiarem, quiq; ſubleuare curas heri ſolet, refertur; ac quidquid hiſce mappis acciderit, ſiue adeò ſcindantur, ſiue concrementur, ſiue inueteraſcant: ad perſonas indicatas ipſa calamitas referatur.

Si pulchriores eædem factæ fuerint, ad eoſdem proſperitas quoque, mapparũ pulchritudini reſpondens, ſpectabit.

Si rex nouum habere maxillarium viſus ſibi fuerit, iuuenem quẽdam ſeruum ſibi dilectum euehet.

Cõſimiliter ſi videre viſus fuerit, quaſi maxillarium ſibi perierit, aut aliquid damni tulerit: ad eiuſmodi ſeruum hoc referatur.

DE SVBSTRAMINIBVS, ET *inſtratu, Indorum, Perſarum, Aegyptiorumq; rationes.* CCXXV.

SVBSTRAMEN lecti notum, ad propriam cuiuſque mulierem refertur.

Si quis hoc ablatum furto per quietem putauerit, ad interitũ cõiugis ei⁹ ſpectat.

Si combuſtū, acri morbo extinguetur.

Si aliud accepiſſe viſus ſibi fuerit, pro eius elegantia mulierem inueniet.

Si de loco in locum ſubſtramen tranſtuliſſe, viſus ſibi fuerit: etiam vxor illius ab vno negotio ſe ad aliud conuertet.

Quòd ſi locus, ad quem transfertur, aut pulchrior, aut deterior fuerit: eidem & ipſius mutatio reſpondebit.

Si alieno in ſtrato, & domi alienæ, cubaſſe viſus ſibi fuerit: ſi dominum ædiū adgnoſcit, per adulterij conſuetudinem vxorem ipſius ſtuprabit: ſin autem, ſcortationibus indulgebit.

Si viſus fuerit, ſtratum ſuum colligatū de loco in locum tranſtuliſſe: aberit ab vxore ſua peregrè, ac reuerſus caſtam & pudicam inueniet.

Si ſtratum ſuum craſſius factum, & intumuiſſe, videre viſus fuerit: è peregrinatione reuerſus, ex ſeipſo coniugem ſuam prægnatem inueniet.

Si viſus ſibi fuerit habere ſtratū quoddam incognitum, vxorem apud exteros inueniet, eamq; ſic comparatam, prout ipſum ſtratum & elengans fuerit, & amplum

plum: atq; ipſe in eo cōmodè cubuerit.

Si ſtratum ſibi cognitum, vel alienum, in lecto poſitum videre viſus fuerit, ſeq; in eo iacentem: magnam poteſtatem atque læticiam conſequetur, idq; propterea, quod ſuppoſitum ſit de lignis lectiſternium: quæ quidem ligna viros ampliſſimos denotant.

Prout etiam diu cubuiſſe viſus ſibi fuerit, tantundem ſupra eos euehetur.

Similiter ſi viſus ſibi fuerit in throno conſediſſe, pro ipſius throni pulchritudine poteſtatem ampliſſimam inueniet, propterea quod thronus de lignis conficiatur.

Si rex viſus ſibi fuerit nouum vel habere, vel cōfeciſſe thronum: hoc ad filium regni ſucceſſorem pertinet.

Similiter ſi viſus ſibi fuerit, in templo quendam ſolij cōſortem feciſſe: ſi filium habet, regem illum deſignabit. quippe templum de domo regia intelligitur.

Si q̄s incubare mollib⁹ ſubſtraminibus, omni ſolutus cura, viſus ſibi fuerit, vxorē ſuam vexabit, nec vllā eius curā habebit,

Si ſubſtraminibus coloratis incubare

viſus

viſus ſibi fuerit, ſequetur euentus ſecundùm interpretationem colorum, ſuperiùs expoſitam.

CCXXVI. DE [a]FACEOLIIS, EX PERſarum & Aegyptiorum monumentis.

a Hoc quid ſit, indicatum ſuprà, 131.

SI quis geſtare faceolium viſus ſibi fuerit, ampliſſimam dignitatem prætoriam adipiſcetur, pro ambitu faceolij, quem eius proceritas efficit.

Si videre viſus fuerit faceolium de pilis confectum, diuitias cumulatiores adquiret.

Si de metaxa, minores eius opes erunt.

Si faceolium à capite ſuo ſolutũ, videre viſus fuerit: in proſperitate ſua dolorẽ ac deſertionem experietur.

Sin decidit, dignitatem ſuam amittet.

Si videre viſus fuerit, quaſi alius quiſpiam notus id aſtulerit vel vi, vel ex amore: tam dignitatis ille, quam diuitiarum hæres & ſucceſſor erit. Sin ignotus quiſpiam, hoſtis ei ſuccedet.

Si videre quis viſus fuerit faceolium ſuum de goſſipio factum: tam gloria, quam dignitas eius minor erit.

Si citrei coloris, in ægritudinem incidet,

ac mortem fortaſſe, propterea quod in capite ſit.

Similiter ſi alijs præditū coloribus per quietem videre viſus fuerit, quodlibet illum habebit exitum, quem in colorū interpretatione ſupra declarauimus.

Si rex faceolium accepiſſe viſus ſibi fuerit, ad concubinam hoc refertur, pro ipſius deſiderio, & faceolij colore, atque venuſtate.

Nam ſi album eſt, & ipſa formoſa erit.

Si ruſſatum, delectationis plena.

Si purpureum, fortaſſis eam Auguſtæ quoque gloria condecorabit.

DE VESTIMENTIS TALAribus, *Indorum rationes.* CCXXVII.

SI quis veſtes nouas talares induiſſe viſus ſibi fuerit, easq; fragrãtia quadam imbutas: pauperibus præmia de facultatibus ſuis conſtituet. ſin illæ fętuerint, in negotio mercedis ſuę famã malã adqret, propter vim fætoris. quippe veſtis talaris, tegmen pedis eſt: & pes ad ſeruum, & rem, & victum hominis refertur: quarum rerum conſeruatio, de commiſeratione erga pauperes pendet. ideoq; de

de his tum ipſa fragrantia, tum fætor teſtantur.

Si quis veſtem talarem, aliquo colore tinctam, inducere viſus ſibi fuerit: hoc ad maiorem in tribuēda mercede gloriam ipſius pertinet, pro ratione colorū, quorum ſuperiùs traditę ſunt interpretationes: excepto colore citreo. Nam is ad tenuitatem præmij refertur.

Si videre viſus fuerit, exuſtas veſtes ſuas talares: adflictionem & cruciatum à magiſtratu experietur, ratione diuitiarum & ſeruorum ſuorum.

Si furto ablatas, per hoſtis ludibrium in adflictionem incidet, ac propter opes ſeruoſq; ſuos damnatur.

Si rex viſus ſibi fuerit nouas ſumere veſtes talares, auctoritatis primæ ſeruos, & eoſdem arcanorum ſuorum conſcios, ꝑ ipſarū veſtium talariū denſitate, ditabit.

Similiter ſi diuerſum quiddam oblatū alicui per quietē de veſtibus hiſce fuerit, hoc ipſum quoq; ſeruos ipſius reſpicit.

Si ſomnium habuerit, quaſi veſtes talares preſſerint calceos, ſeruós ſuos adfliget, pro modo preſſuræ.

Quòd

Quòd ſi etiam pedem claudum factũ vidère viſus fuerit, ac viciſſim reſtitutũ: vt claudicatio periculum, ſic reſtitutio ſerui eius emendationem portẽdit: pro factæ reſtitutionis in integrum modo.

DE ZVPA, EX PERSARVM *& Aegyptiorum interpretationibus.* CCXXVIII.

SI quis viſus ſibi fuerit induiſſe zupã, ſi cum poteſtate eſt, nomen famamq́ue præclarã inueniet: idq́; propterea, quod ſupra veſtes alias ſemper geſtari zupa ſoleat. Ac ſimiliter bonum quoque nomẽ omnia, quæ homini adſunt, exornat.

Si non eſt princeps aliquis, ſed plebeius: facultatum quiſque collectionem, & cuſtodiam, & ſecuritatẽ in profeſſione ſua conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit zupam ſumpſiſſe de pilis confectam, opes nomine ſuo ſplendidiores inueniet.

Sin erat è lino, & goſſipio: in operibus ſuis à tenuioribus ſubſidium apiſcetur.

Si zupa veneti coloris erat, maiores opes inueniet.

Si ruſſata, per monetariam diuitias cõſequetur, prout ipſe color denſus & ſpiſſus fuerit.

Si citrei coloris, in domo ſua vexabitur, & poteſtas ipſius auertetur.

Si praſini, per mulierem & opes & poteſtatem inueniet.

Si quis eam diſcidiſſe viſus ſibi fuerit, de ſuis opibus amittet, adfligetur, poteſtate excidet.

Si fuerit exuſta, per principem cruciabitur.

Si lacerata, vel inueterata: calamitas ad opes & dignitatem ipſius pertinebit.

Si rex arcendæ pluuię cauſſa, vel roris, zupam ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit: ſubſidium inueniet, ad mitigationem ærumnæ ſuæ.

Si ea zupa lanea fuerit, gentem improbam atque potētem ſibi adiunget, vt aduerſus hoſtes ſubſidia ſumminiſtret.

Si zupam frigoris arcendi cauſſa ſumpſit, theſauros & opes ſuas recuperabit.

Si videre viſus fuerit, inuētum aliquod in zupa vitium: in explicatis hactenus euentus reſpondebit.

DE

DE SANDALIIS, INDORVM, *Perſarum, Aegyptiorumq́; rationes.* CCXXIX.

SI quis ſandalijs ſumptis inceſſiſſe viſus ſibi fuerit, expeditionẽ ſuſcipiet. ac ſi quidem ſandalij corrigiam ſciſſam ruptamq́; videre viſus fuerit, ſponte ſua relicta expeditione domi reſidebit. ſin ea prorſus abſciſſa calceus exciderit, cũ ærũna inuit⁹ ab expeditiõe reuertetur.

Si noua ſumere ſandalia, nec incedere tamẽ, viſus ſibi fuerit: vxorem accipiet. Si iam habet vxorem, cum noua concubina cubabit.

Si viſus ea fuerit ipſemet geſtare, ac manibus intacta tenere: puellã, mulierémve virginẽ inueniet. ſin iam vſus eis fuerat, opulẽtam mulierem viduam ducet.

Si ſandalia ruſſata erant, plenam omni delectatione mulierem accipiet.

Si citrei coloris, morbis obnoxiam & contumacem.

Si facta ſunt de corio bubulo, filiam ſuſcipiet ex nobili fæmina Romana, patricij ordinis: propter cornu bouis.

Si de corio cameli, ex Arabum natione mulier erit.

Si de corio bubali, de natione mulier erit potente quidem illa, ſed paulò ſtolidiore.

Si de corio equino, prognata de nobilibus erit, & magna potentia præditis.

Si ſandalia duo ſumpſiſſe viſus ſibi fuerit, & eſſe progreſſus, inde verò ruptum fuiſſe alterũ: in viam ſe dabit is qui ſomnium habuit, atque vel fratrem, vel ſororem amittet.

Sin alterum furto videre viſus fuerit ablatũ, vel à muliere vexabitur, vel morbo, vel amiſſione dignitatis, vel morte.

Similiter ſi is, cui viſum hoc oblatum eſt, iter aliquod inſtituit: impedimentum ex eo ſentiet.

Itidem alia quadam interpretatione, ſandalia perdita vel ad vxoris fraudulentiam, vel filiæ, vel ſororis referuntur.

Si quis videre viſus fuerit, ea ſibi per vim à quodam adempta: hoc de morte coniugis interpretator.

DE PERSICIS MANICIS

CCXXX. *ſubucularum, ex Perſarum diſciplina.*

PERSICA ſubuculæ manica refertur ad rationem & conſtitutionem vitæ.

Si

Si quis hanc ſolutã decidiſſe, per quietem videre viſus fuerit: hoc ad neceſſarij victus diſſipationẽ & interitum referat. Nam ſubucula ſignificationẽ habet interioris domeſticæ vitæ ac domus.

Similiter ſi cui viſum oblatum fuerit, quaſi ſubucula ipſius & firmior, & ornatior eſſet: hoc de facultatibus ſuis intèlligat.

Si rex tale ſomnium habuerit, de ſoluta ſcilicet manica ſubuculę: rem ad exercitum ſuum interpretando referat, & ad negotia bellica.

Si quod ruptum erat, viciſſim reſtitutum videre viſus fuerit: caſus aduerſus, qui accidit exercitui, corrigetur.

Si ſalua erat, & integra manica: ſoliditas eius, & integritas, ad exercitum regium pertinet.

Omnis ènim honor, & firmitas, & vita regum, ab exercitibus eorum pendet.

DE ABLVTIONE SORDIVM, *& amictu mundo, ex Indorum diſciplina.* CCXXXI.

SIqs ablutis ſordibus, veſtes mũdas induiſſe viſus ſibi fuerit: omni adflictione, ſollicitudine, morbo liberabitur: ꝓq̃

modo loturæ,& ipſarum veſtium ſplendoris, gaudio potietur, & in conſpectu populi honorabitur.

Si viſus ſibi fuerit induere veſtes, nouas quidem illas, ſed laceratas, quæ refici nequeant: qui ſomnium hoc habuit, nullos vnquam liberos procreabit.

Sin aliqua reſtat ratio refectionis, veneficio faſcinabitur. ac ſi quidem videre viſus fuerit vel textorem, vel ſeipſum eas retexentem: inueniet afflictionem & rixam cum coniuge ſua, ſuam ad ignominiam,& ęrumnam,& ſollicitudinem, pro modo factæ dênuò texturæ.

Sin ipſemet eas conſuit,boni quiddam ſibi portendi ſtatuat: & ea faſcinatione, quam diximus,liberabitur.

Si viſus ſibi fuerit, vxoris ſuæ veſtem conſuere, hóc ipſum quoque ſuam ad ignominiam atq; ſollicitudinẽ referat.

Sin eam ipſe retexere viſus ſibi fuerit, excuſationes ad vxorem falſas inſtituet, & in ſcortatione depræhendetur.

CCXXXII. DE ABLVTIONE ET AMICTU, *Perſarum, Aegyptiorumq́ rationes.*

SI quis viſus ſibi fuerit depoſuiſſe ſordes, itineris cura liberabitur.

Si præter morem, nouas ſumpſiſſe veſtes viſus ſibi fuerit: apud populum ſuũ honorem atque gloriam inueniet, & opes ſoliditati ſplendorique veſtium reſpondentes.

Si veſtem de pilis confectam, induiſſe viſus ſibi fuerit: ab hoſtibus improbis & inualidis opes atque poteſtatem conſequetur: propter earum ferarum, de quarum pilis ea veſtis cõſtat, improbitatem ac fraudulentiam.

Si, quis de metaxa factam veſtem induiſſe viſus ſibi fuerit: firmiores ille quidẽ, ſed moderatiores opes cõſequetur.

Si viſus ſibi fuerit induiſſe veſtes albas & mundas, pro mundiciei, & albedinis modo, ab omni dolore repurgatur.

Si veſtem laneam, vel lineam, vel è goſſipio factam induerit: eæ veſtes de diuitijs intelliguntur, nõ etiam de poteſtate.

Si laceratæ ſunt, & ex indicatis omnibus conſtant: qui ſomnium habuit, ex ærumna in ærumnam incidet.

Sin eas cõſuere viſus ſibi fuerit, aduerſita-

ſitatibus ſuis pari ratione medebitur.

Quòd ſi curtæ ſunt, inſtar earum quæ podicem conſtringunt: ingens ſperabit gaudium, & minus inueniet, pro veſtis oblatæ per quietem modo.

Si rex ab ijs ſordibus, quas habebat in corpore, viſus ſibi fuerit repurgatus: ea cura, qua conficitur, liberatur.

Si nouam induiſſe purpuram viſus ſibi fuerit, ręs eius & illuſtriores & ſplendidiores euadent.

Sin veſtes vſitatas & veteres induit, ablutionis quidem reſpectu curis & ſollicitudine liberabitur: at propter veſtitũ veterem, in eodem res ſtatu permanent.

Si laceratas induiſſe veſtes viſus ſibi fuerit, nouum & inuſitatum malum, propter inſolentiam eius in rege veſtitus, experietur.

Sin eaſdem exuerit, etiam malo iſto liberabitur.

CCXXIII. DE EQVIS MARIBVS, ET *fæminis, Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum interpretationes.*

EQVVS generoſus (qui phares dicitur) in ſomniorũ interpretationibus ad eminen-

eminentiam & dignitatem refertur. Similiter & equ , (quæ pharas) generoſam fæminam portendit: equi denique vulgares, de nobilitate ac gloria quadam inferiore accipiuntur: itidemque vulgares equæ, de condicionis inferioris mulieribus.

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit equo agili, ac laſciuiente vehi: coram populo famam & exiſtimationem ampliſſimã, & eminentiam, & decus inueniet.

Sin is, qui ſomnium habuit, ipſemet imperator eſt: gaudium atque gloriam in Auguſta, & aula ſua regia, pro ipſius equi venuſtate ac ornatu, inueniet.

Si plebeius eſt, in profeſſione quiſque ſua mutationem experietur.

Si quis equo tali, vel ſimili vectus, eum viſus ſibi fuerit egiſſe celeriter: nobilitatem & eminentiã inueniet, cũ proſperitate; prout agiliter equ⁹ ipſe cucurrerit.

Si quis equo generoſo vehi viſus ſibi fuerit armatus, poteſtatem cum bona fama reperiet, pro armorum ratione.

Si equo tali viſus ſibi fuerit inſidere, ac tenere clypeum: ſecuritatem ab hoſti-

 bus,

bus, & potentiam equo reſpondentem inueniet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, conſequetur hominem, quem rerum bellicarum ſummæ præficiet, fortem ac ſtrenuum aduerſus hoſtes. Clypeus enim ad perſonam Polemarchi regij, ſiue ſummi rei bellicæ præfecti, refertur.

De clypeis.

Si clypeum nigrum, vel coloris veneti, videre viſus fuerit: Polemarchus regius tolerans & gubernationi erit idoneus, idq; propterea, quod in hiſce coloribus non facilè ſordes adpareant.

Si album ſcutum erat, timidus erit, & eorum è numero, qui abiecto ſcuto fuga ſibi conſulunt: idq; propterea, quod facilè color iſte ſordibus inquinetur.

Si clypeus rubri coloris erat, maximam rex oblectationē ex iſto duce ſuo capiet.

Si purpureus, ad filium vel fratrem regis refertur.

Si aureus, aut citrei coloris: ad hominē iniurium, & improbi animi, refertur.

Si quis vehi viſus ſibi fuerit e qua generoſa inſtrata, quæ caudam longam habeat: fæminam honoratam inueniet, &

per eam ſuis in rebus proſperitatem cõſequetur, pro modo caudæ.

Si equa nigra eſt, opulenta mulier erit.

Si quis ſponte ſua viſus ſibi fuerit ex equo generoſo deſcẽdere, ſponte poteſtatem ſuam deminui patietur: ſin inuitus, ob equi contumaciam ſcilicet, ex equo decidit: terrorem inueniet, & cruciatum, aut in dignitate ſua ſucceſſorẽ.

Si carnẽ equinam ediſſe viſus ſibi fuerit, inſigne nomen inueniet, cum nobilitate, ac bona principis adfectione.

DE COLORIBVS, EQVOrum, & [a] ſellarijs regum, rationes Perſarum & Aegyptiorum. CCXXXIIII.

a Sellis equeſtribus.

IN regum viſis nocturnis, equus candidiſſimus ad Auguſtę perſonã refertur.

Equus inſtratus ſplendente ſellario ferreo, ſi quidem ſella regia eſt: ad mulierẽ Auguſta inferiorem refertur. ac ſi quidẽ ſella regia eſt: ad mulierem Auguſta inferiorem refertur, ac ſi quidem aliquis hæc tenere viſus ſibi fuerit, poteſtas minor portenditur.

Si ſellarium regiũ roſacei coloris fue-

rit, mulierem delectationis & gaudij plenam denotat.

Equus regius niger ad opulentam mulierem & iniuriam, propter nigredinem, refertur.

Ad ſummam, vt rem ſimpliciter explicemus, omnia regia ſellaria per quietem oblata, de regijs vxoribus intelliguntur. ac ſi quidem aliquis horum aliquid à rege viſus ſibi fuerit accipere: læticiam, poteſtatem, & mulierē à rege conſequetur.

Si quis ignorante rege viſus ſibi fuerit his inſidere, ac præter morem vehi: cum muliere quadam eius clàm ſtupri conſuetudinem habebit.

Si quis videre viſus fuerit equam nigram, quæ vtrinque iacula colligata geſtaret, ingreſſam domum ſuam: mulierē opulētam in domum ſuam ducet, & ad pedes [a] ipſius cōplures ex ea domo morientur, pro telorum numero & copia.

[a] Viri ſcilicet.

Si quis videre viſus fuerit, equam generoſam iuuenem, nondum exercitatam, in domum ſuam ingreſſam: puellam virginem nobilem in domum ſuam ducet.

Sin equam vulgarem, hoc ad ancillæ perſonam refertur.

Nam in viſis hominum nobiliũ, equæ vulgares de ancillis intelliguntur.

Si tale ſomnium plebeius habuerit, ad vxorem hoc ſuam referat.

Quidquid his adeò ſiue boni, ſiue mali acciderit, ad eaſdem referatur.

DE MVLIS, EX PERSARVM *& Aegyptiorum diſciplina.* CCXXXV.

SI quis viſus ſibi fuerit inequitaſſe[a] burdoni, benè incedenti: ſponte ſua ſuſcipiet expeditionem, de qua dolorem & miſeriam percipiet.

Omnes enim muli & mulæ, omnium rerum ſubuerſionẽ homini portẽdunt. propterea, quòd ſteriles ſint, & procreare neuter ſexus poſſit.

Si quis inequitaſſe mulo viſus ſibi fuerit, & ingreſſus eſſe domũ, in qua eſſent chartę, de quibus aliquas ipſe ſumpſerit: expeditionem tributorum exigẽdorum cauſſa ſuſcipiet, in qua damnum potius, quàm lucrum faciet, propter eius animalis ſterilitatem.

Si mulæ quis inequitaſſe viſus ſibi fuerit, cum ſella ſiue ſtrato: hoc quouis in homine de fæmina infami, & egente accipitur.

[a] *Hoc eſt, mulo. reperitur hæc vox & Baſilicorum lib. 44. tit. 3. cap. 85. vbi non rectè* κορδονίων *pro* βορδόνων *legitur.*

Si

Si vir ampliſſimus hoc ſomniũ habuerit, in hominem incidet infamem, & vexationem inueniet, propter mulam.

Si mulam quis amiſiſſe viſus ſibi fuerit, ærumnam in ea voluptate, quæ de facultate ꝓcreatricè percipitur, experietur.

Si quis mulam vendidiſſe viſus ſibi fuerit, commodo ſuo calamitate liberatur.

Si quis à mula peſſum datum ſe, videre viſus fuerit: in ærumnam acrem & vehementem incidet.

DE ASINIS, PERSARVM *Indorum & Aegyptiorum interpretationes.*

CCXXX. VI.

DIVERSA eſt de aſinis interpretatio, ac plerunque hominum ad fortunam refertur.

Si quis inſediſſe viſus ſibi fuerit aſinæ, per mulierem beabitur: ſin aſino, ad fortunam ipſius id quoque ſpectat. itaque felicitatem inueniet, reſpondentem ei iuri, quod in aſinum habet, & pro eiuſdem inceſſu.

Si niger aſinus erat, ex auri lucro felicitatem inueniet.

Si albus, felicitatem & eminentiam per vxorem

vxorem & liberos conſequetur.

Si quis aſinum emiſſe viſus ſibi fuerit, aut ab alio donatū accepiſſe, quem ipſe ſuam in domum deduxerit, aſino ſe comitante: gratiam apud Deum inueniet, & in domo ſua diuitias colliget, prout aſinum introduxiſſe viſus ſibi fuerit.

Si aſinum perditum inueniſſe viſus ſibi fuerit, & abſtuliſſe: gaudium necopinatum inueniet.

Si lac aſininum bibiſſe viſus ſibi fuerit, in morbum acrem incidet, nec tamen morietur.

Si aſinum onuſtum in domum ſuam introduxiſſe, viſus ſibi fuerit: proſperitatem oneri reſpondentem, cum diuitijs, & lęticia reperiet. ſin expertem oneris, adflictiones & metum omnē deponet.

Si videre viſus fuerit aſinum ſuū mortuū, citò morietur is, qui ſomniū habuit.

Si de aſino viſus ſibi fuerit lapſus, ad egeſtatem extremam redigetur.

Si lac aſinæ ſilueſtris biberit, eminentiam cum morbo reperiet.

Si aſinum fune viſus ſibi fuerit trahere, morem ipſi gerente aſino: prout aſinus

nus hominem ſequutus fuit, etiam fortuna ipſum comitabitur.

Si quis aſinum habuiſſe viſus ſibi fuerit, qui mortuus ſit: eius vxor morietur, & in paupertatem incidet.

Si aſinum ſuum ruptum videre viſus fuerit, incurabiliter egebit, propterea, quòd nec aſinus curari poſſit.

Si carnem aſininam inuenerit, aut comederit: cum morbo lucrum inueniet, pro modo manducationis.

Si aſininum ſterculinium in domo ſua collegiſſe viſus ſibi fuerit: pro eius copia, ſine labore auro potietur.

Si aſini peregrini exuuium reperiſſe viſus ſibi fuerit, hæres hominis erit.

Si carnem onagri comederit, eximium nomen & opes inueniet.

Si caudam aſino ſuo præciſam videre viſus fuerit, ſi quidem eſt ſub dignitate, eam amittit: ſin opulẽtus, lucro ſuo mulctabitur.

Si aſinum ſuum cum onere labentem, & cadentem in lutum, videre viſus fuerit: in morbum incidet, & detrimentum facultatum ſuarum experietur.

Sin

Sin aſinum è luto ſurrexiſſe, ac perrexiſſe viderit: ex ærumna ſua morboq; liberabitur, & lætitia fruetur.

Si aſinam habere viſus ſibi fuerit, quæ pepererit: opes eius duplicabuntur, & augeſcent: & ſi vxorem habuerit, filium procreabit.

Si rex viſus ſibi fuerit, pro ſtrenis aſinos à quodam accepiſſe dono: gaudio præter expectationem fruetur, aſinorum pulchritudini reſpondente.

Si onagros adlatos ſibi, videre viſus fuerit, lætum nuntium & diuitias ab extraneis breui accipiet, propter onagri velocitatem.

Si aſinos ſuos mortuos videre viſus fuerit, hoc ipſum in perſona quauis ad ęrumnam & interitum domeſticorum eius pertinet.

Aſini fortunam hominum denotant. quidquid ab eis homo conſequi viſus ſibi fuerit, ſiue bonum, ſiue malum: prorſus eueniet.

DE CAMELIS VELOCIBVS, *Perſarum & Aegyptiorum rationes.* CCXXX. VII.

ARA-

ARABICI cameli, fæminei ſexus, quæ veloces ſunt, miſeriam, mortem, & damnationem portendunt.

Si quis harum aliqua vehi viſus ſibi fuerit, ita quidem, vt ab ea curſu auferretur: eum hominem orcus auferret, idq́; propterea, quod nullum animal cum camelis hiſce fæminis, quod curſum adtinet, in comparationem venire poſſit.

Si viſus ſibi fuerit huiuſmodi camelũ conſcendiſſe, paruoq́; confecto ſpatio, rurſus ex ea deſcendiſſe: duram in ægritudinem incidet, qua viciſſim liberabitur.

Si quam talem inueniſſe viſus ſibi fuerit, & ſuam in poteſtatem redegiſſe, ac frænaſſe: poteſtatem à rege conſequetur, per maximi alicuius Saraceni preces & interceſſionem.

Si camelum huiuſmodi, membrum aliquod ipſius momordiſſe, per quietem viderit: à magiſtratu vexabitur, prout antea de membris ſingulis certas interpretationes tradidimus.

Si videre viſus fuerit, quaſi camelus eiuſmodi calces ipſimet impegerit: ſine detri-

detrimento ſuo terrebitur à principe, propterea quod camelus vngulam equinam non habeat.

Si de camelis huius generis, alias ſexus fæminei cõparaſſe viſus ſibi fuerit, quas mulxerit: poteſtatem aduerſus Saracenorum nationem inueniet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, nationem extraneam in ditionem rediget: prout cameli paruerint, proq; lactis expreſſi mulgendo copia.

Si carne cameli quis veſci viſus ſibi fuerit, morbo diuturno vexabitur, & conualeſcet.

Si quis viſus ſibi fuerit ambulare more cameli, opinionem de ſe falſam excitabit, magnificè ſemet extollens: & pudore adficietur.

Si quis ſua cum camelo viſus ſibi fuerit colloquutus, pro modo colloquutionis poteſtatem & opes conſequetur.

Si quis habere camelum feminam viſus ſibi fuerit, quam aut vendiderit, aut alienauerit: vel morte, vel diuortio à mala fæmina liberatur.

Si cui viſa fuerit huiuſmodi camelus

fætum maſculum edidiſſe: de mala muliere filium noxium ſuſcipiet. ſin fæmineum, erit & illa ſuboles matri ſimilis.

Si quis lac cameli bibiſſe viſus ſibi fuerit, à principe diuitias habebit, cum terrore, ac morbo.

Si camelum domi ſuæ mactaſſe viſus ſibi fuerit,, & carnem eius habere: inueniet à principe cruciatum, & terrorem, & morbum, & miſeriam.

Si rex videre viſus fuerit, in ditionem ſuam huiuſmodi camelos ingreſſas: impreſſionem nationum hoſtilium eo loci expectet, ac quantum à camelis damni ceperit, tantundem ab hoſtibus detrimenti metuat.

Si camelos ex eo loco diſcedentes, onuſtos videre viſus fuerit: opes regias hoſtis auferet, pro ipſius oneris & ſarcinarum modo.

Si rex cameli exuuium ſiue pellem inuenerit, aut ſuſtulerit: opes alicuius principis, vel magnatis lucrabitur.

Similiter ſi cameli caput inueniſſe, vel accepiſſe, viſus ſibi fuerit: ſi cum poteſtate eſt, hoſtium facultates conſequetur. ſi ple-

plebeius, ab ampliſſimo quodam viro lucrabitur ad x, vel c, vel cIↃ ſolidos: tum quia[a] caput ſummam, ſiue ſortem denotat, tum quod hi numeri perfecti ſint.

[a] κεφάλαιον more Græco, ſors.

DE BOBVS, PERSARVM ET *Aegyptiorum rationes.* CCXXVIII.

MASCVLI boues de ampliſſimis principibus, fæminæ de annis intellıgũtur. Si quis inſediſſe boui nigro viſus ſibi fuerit, opulentum hominem, & poteſtate præditum, ſibi ſubijciet.

Si boues aratores in domum ſuam deduxiſſe viſus fuerit, & ligaſſe: proſperitatem ingentem reperiet, auguſtamq́; poteſtatem, & ſubiectionem hoſtium, & ex ærumnis liberationem.

Si plurima iuga boum habere viſus ſibi fuerit, & morigerorum quidem, quos mittat quocunque locorum velit: magnam poteſtatem nanciſcetur, & maximos ſibi ſubijciet, aliosq́; participes poteſtatis ſuę faciet. Nec enim facilè viſum hoc offertur alij, quã magnati, vel ſublimem ad dignitatem euehendo.

Si auro iuga boum ſua diſtraxiſſe viſus ſibi fuerit, pro auri copia, quod accepit, adfligetur.

Si rex donaſſe boues homini cuidam noto, viſus ſibi fuerit: exaltabit eum, & principē faciet. ſin ignoto, ab hoſtibus cladem aliquam ſuorum accipiet.

Si iuga boum agreſtium, & indomitorum adlata ſibi, rex videre viſus fuerit: ſi quidem erant colligata, principes peregrinos vinctos accipiet, & ingenti gaudio potietur.

Sin gregatim boues adducti fuerint, nationes ampliſſimas in ditionē rediget.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt boues aratores mactarentur: principibus eius ab ipſomet rege periculum imminebit. ſin boues immorigeros & indomitos occidi iuſſerit, ad extraneos & alienigenas ea calamitas ſpectat.

Si rex miſiſſe viſus ſibi fuerit boum nō laborantium greges, vt in regione ſua paſcerentur: eam regionem excolet per alienigenas, quaſi colonia quadam eo deducta.

Si quis viſus ſibi fuerit læſus à boue cornu petente, ſiquidem eſt [a] ſub poteſtate, aut vir ampliſſimus, cum pari pugnabit, & ab eo lędetur, prout bos cornu petijſſe viſus

[a] *Hoc eſt, ſi poteſtatis onus ſuſtinet.*

viſus fuerit: ſin plebeius, à principe damnum accipiet.

Si à boue impactas ſibi calces, videre viſus fuerit: minor calamitas erit.

Si viſus ſibi fuerit inſidere boui roſacei coloris, poteſtatem inueniet, & in liberis vel vxore morbum.

Si quis videre viſus fuerit ingreſſos domum ſuam boues ignotos, in eius domũ proceres venient. ac ſi quidem illi boues cornu petiuerint, damnum ei dabunt: ſin autẽ, non eſt, quod ab eis ſibi metuat.

Si quis in regione peregrina paſcentẽ bouem, qui tria vel quatuor habeat, vel plura cornua, videre viſus fuerit: in eam regionem princeps quidam veniet, & hominibus illis cum imperio præerit totidem annis, quot cornua fuerint.

Si bouem ſuum quis efferatum videre viſus fuerit, aduerſus hunc princeps regionis illius exaſperabitur: ac ſi quidem ſuam in poteſtatẽ bouem redegit, auertet illũ: ſin bos præualuit, potiores principis vires erunt.

DE BOVE RATIONES CONſimiles, ex Aegyptiorum diſciplina. CCXXXIX.

QVICVNQVE boues maſculos viderevi ſus ſibi fuerit, de principibus eos intelligat, propter cornu: vaccas, de annis.

Quòd ſi pingues ſunt, annos fertiles portendunt: ſin tenues & macræ, ſteriles annos.

Similiter & boues maſculi, ſi pingues ſunt, principes bonos denotant: ſin autẽ, principes improbos & iniuſtos cum malis annis portendunt.

Boues, qui non ſunt aratores, ad ampliſſimos principes referũtur: aratores, ad viros nobiles, qui aliquando ſint imperio potituri.

Si quis buculam pinguem inueniſſe viſus ſibi fuerit, aut plures: inueniet annũ, vel annos eximios, & bonos, & fertiles: ac in negotiatione quæſtuq; ſuo quilibet incrementum.

Si quis buculam, vel armentum quoddam macrum inueniſſe viſus ſibi fuerit, cuius ipſe dominus fuerit: annum, vel annos infelices experietur, pro bucularum numero: itidemque penuriam annonæ, detrimentum, paupertatem, pro

tenui-

tenuitatis & maciei modo.

Si rex buculas pingues adlatas ſibi, videre viſus fuerit: pro earũ numero proſperos & felices ad bellum gerendum annos inueniet: ac regionis opulentiam fertilitatemq; ſuæ, pro bucularum pinguitudine ac multitudine.

Quippe ſomniũ regis in his, ad omnes ipſius ſubditos interpretando refertur.

Similiter ſi rex videre viſus fuerit, adlatas ſibi buculas tenues & exiles: annos infauſtos bellis gerendis, & regioni ſuæ, pro illarum numero & macie, experietur. Similiter & ſubditis eius vniuerſis eadem portenduntur.

Si quis edere carnem bubulam viſus ſibi fuerit, ab ampliſſimo viro diuitias conſequetur: itemq́ue ſubolem maſculam procreabit.

Sin butyrum de vaccarum lacte factũ comederit, opes iucundas & durabiles inueniet.

Si lac bubulum comederit, incrementum rerum, opesq; maximas nãciſcetur.

Si buculam quis mulgere viſus ſibi fuerit, deq; lacte bibere: ſi ſeruus eſt, eman-

cipatur: ac fortaſſis hæreditate domini ſui domum conſequetur, aut hæram ſuã vxorem accipiet. Sin plebeius eſt, lætitiã & exultationem maiorem inueniet.

Ouillum quoque, ceruinumq́; lac, eandem interpretationem habet.

Si quis ſtercus bubulum colligere viſus ſibi fuerit, à proceribus opes conſequetur, ſtercoris copiæ reſpondentes.

Si quis corium bouis inueniſſe, vel ſuſtuliſſe, viſus ſibi fuerit: hæreditate diuitias ampliſſimi principis adquiret.

Si bubulum caput inueniſſe viſus ſibi fuerit, opes & theſaurum principis conſequetur, propter eam, quæ capite continetur, medullam.

Si bouem in domo ſua mactaſſe, viſus ſibi fuerit: pro modo & copia carnis, opes alicuius principis conſequetur, cum metu magiſtratus.

Si iecur & pulmonem bouis accepiſſe viſus ſibi fuerit, auri puri theſaurum ab alio principe conſequetur.

Si ventrem bouis inueniſſe viſus ſibi fuerit, à quodam magnate proſperitatẽ inueniet.

DE

DE VEHICVLO, SIVE CVRru,& plauſtro,rationes Aegyptiorum

VEHICVLVM regium, eminentiam regis denotat: vulgare plauſtrum,diuerſas ad perſonas refertur. CCXL.

Si quis in ſomnis vehi viſus ſibi fuerit curru regio,gloriam ſublimem adſequetur,& celebris erit.quòd ſi etiam de illorum eſt numero, qui regno idonei ſunt: regno potietur.

Si quis inſidens currui, generoſis ab equis, vehi viſus ſibi fuerit: & eminẽtiam inueniet, & gaudiũ, & exitum ſpei ſuæ, & opulentus erit.

Si & ipſe rex, & vehiculum regium, à bobus trahebatur: breui viros ampliſſimos in ditionem rediget.

Si quis princeps mediocris fuerit, minor erit,propter boum ſegnitiem.

Quibuſcũque regium vehiculum per quietem oblatum fuerit, ad propiorem regis aditionem hoc refertur: idq; propterea,quod Ioſepho quoque, quum captiuitate liberatus, & Ægypti nanctus eſſet imperium,alijsq; ſimiliter,eminentia regiæ gloriæ, priſcis à regibus con-

ceſſæ, per vehiculum ſignificata fuerit.

Si quis in theatro viſus ſibi fuerit aurigæ in morem regia vehicula gubernare, victoriaq́; potiri, & coronari: ſi bellator eſt, aut miles, hoſtes ſuperabit: ſin aliquis ex proceribus, princeps inter proceres fiet, propter coronam.

Sin viſus ſibi fuerit victus, ex ærumna liberatur, & minore fruetur gaudio. Nã oblata per quietem adflictio, nihil moleſti portendit.

Si plebeio viſum huiuſmodi fuerit oblatum, quiſque gaudium inueniet, ac negotiationis & quæſtus incremẽtum.

Si mulieri, quæcunque tãdem illa fuerit: cum ampliſſimo viro ſtupri conſuetudinem habebit, & hominibus ſpectaculo erit.

Si rex vehiculo viſus ſibi fuerit vehi, ſublimiore gloria potietur, & hoſtes ſibi ſubijciet, omniumq́; votorum compos fiet, prout egiſſe currum viſus ſibi fuerit.

Si viſus ſibi fuerit in ſella conſidere, ac moderatè ſenſimq́; trahi ab equis: in vniuerſo populo ſuo gaudium, tranquillitatem, & exultationem inueniet.

Si

Si quis vehiculum ſuum fractum videre viſus fuerit, in ægritudinẽ incidet, ac dignitatis aliquam iacturam faciet.

Si viſus ſibi fuerit aliq̃d paſſus in equis, aut bobus, vehiculum trahentibus: pars dignitatis eius humiliabitur.

Sin planè mortui ſunt, aut corruerunt: velut interituri: dignitatem atq; gloriam ſuam amittet, ac grauiter adfligetur.

Plauſtra ruſtica morbum, & cruciatũ à principe, denotant.

Si quis ergo viſus ſibi fuerit in eiuſmodi ſedere plauſtro, & trahi: grauem terrorem, & cruciatum à magiſtratu expectet.

Sin ex eo deſcendiſſe viſus ſibi fuerit, citò liberabitur,

DE [a] ZATRICIO, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina. CCXLI.

a Ludi genus. vide interpretem Theocriti, eidyl. 6.

SI quis zatricium cum alio ſibi noto ludere viſus fuerit, lucri cauſſa dimicãt inter ſe: quique vicerit, lucrabitur: & quod habet in votis, perficiet. Sin cum ignoto, cum hoſtibus abſque ſanguinis effuſione dimicabit, & qui ſuperior euaſerit, voti ſui compos erit.

Si rex,aut ampliſſim⁹ vir,aut belli dux, zatricium ludere viſus ſibi fuerit: de loco prœlij cum hoſtibus cōſerendi diſpiciet.ac ſiquidem vicerit,omne animi ſui deſiderium in bello perficiet:ſin à colludente victus fuerit,ab hoſtibus ſuis & ipſe ſuperabitur.

Si viſus ſibi fuerit,inter ludendum plures eius ludicri perſonas cepiſſe: plures ex hoſtibus vinciet: ſin autem, cōtrarius euentus erit. non tamen eo prœlio de ſumma rerum decertabitur.

Si rex, aut vir aliquis ampliſſimus, aut belli dux,viſus ſibi fuerit zatricium ſuū perdidiſſe,vel fractum eſſe,vel ablatum furto: exercitus ſui iacturam faciet, ac maximam in ærumnam incidet.

DE OMNIGENIS OVIBVS,
CCXLII. *& ceruis,& hircis:ex Indorum,Perſarum, Aegyptiorumq́; monumentis.*

SI quis inueniſſe, vel accepiſſe ab alio viſus ſibi fuerit arietem,anni poteſtatem conſequetur. ſi plures arietes inueniſſe viſus ſibi fuerit, poteſtatem conſequetur ad annos totidē, quot arietes fuerint: proq́; modo pinguitudinis eorum, diteſcet. Si

Si princeps viſus ſibi fuerit arietes inueniſſe, poteſtatis acceſſionē inueniet, pro ratione numeri reliqui, poſtquam facta fuerit arietum computatio, & primorum poteſtatis eius annorum.

Si eos ſponte ſua vendidit, poteſtatem ſuam amittet.

Si ablati fuerint, etiam poteſtas ei auferetur, & adflictionem inueniet auro reſpondentem, quod pro eis accepit.

Si argētum accepit, pugnam inueniet.

Si viſus ſibi fuerit arietē occidiſſe, principem rerum potientem interficiet.

Si videre viſus fuerit, adlata ſibi multorum arietum capita: ſciendum id viſum regi duntaxat offerri. Nam hoſtium capita vincta venient, & ipſe magno gaudio adficietur.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt arietes mactarētur: ſi quidem de ſuis hoc iuſſerit, principes eius pari modo periclitabuntur. ſin de alienis, pro arietum numero hoſtes interficiet.

Si rex, aut belli dux, viſus ſibi fuerit arietes cepiſſe viuos, & in ſtabulo mactaſſe. principes infeſtorum ſibi populorum

vin-

vinciet,pro arietum numero.

Si quis arieti viſus ſibi fuerit inequitaſſe, virum magna poteſtate præditum in ſeruitutem rediget.

Si videre quoſdam viſus fuerit, adferentes ſibi caput hirci cornuti: ſtolidus quidam bellator ad eum vinctus deducetur.

Si quis in loco quodam arietes videre, viſus ſibi fuerit: in eum locum principes veniẽt,adminiſtrationis & imperij cauſſa,pro ipſorum arietum numero.

Si videre viſus fuerit hircos ibidẽ paſcentes,homines in ijs locis iniuſti, rapaces,auari imperabunt.

Si ceruos, aliasq; feras & cornutas beſtias ibi paſcentes videre viſus fuerit: hoſtis eò potens veniet.

Si rex ad venationem ceruorum viſus ſibi fuerit egreſſus, aut aliarum beſtiarũ, quæ cornua gerunt: aduerſus hoſtes rerum potiẽtes bellũ excitabit. ac ſi quidẽ animal, quod quærebat, adeptus fuerit: hoſtem quoq; capiet, gaudioq; ingenti fruetur. ſin autem, contrarium accidet.

Si rex viſus ſibi fuerit cepiſſe vitulos

cerui-

ceruinos, ampliſſimorum virorum liberos vinciet.

Si viſus ſibi fuerit in regia vitulum ceruinum educare, marem vel fæminam: hoc ad ſubolem maieſtatis ſuæ referat.

Si carnem ceruinam comediſſe viſus ſibi fuerit, ab ampliſſimo viro gaudium & opes conſequetur.

Sin hircinam, pro modo manducationis morbum inueniet.

Si quis capreas mactaſſe viſus ſibi fuerit, adflictionem & ſollicitudinem inueniet & citò liberabitur.

Si quis viſus ſibi fuerit, carnem ouillã pinguem comediſſe: gaudio potietur, & opibus, & gloria.

Sin hircinam, cum lacte concreto: in morbum acrem & diuturnum incidet.

Si agnã inueniſſe viſus ſibi fuerit, vxorem exoptatam accipiet.

Si eandem alienaſſe viſus ſibi fuerit, ab vxore ſua vel morte, vel occaſione quadam ſeparatur.

Si auri pondere vendidit eam, ab vxore ſua ſeparatur per litem quandam in iudicio, propter libræ pondus.

Si

Si viſus ſibi fuerit inueniſſe, vel emiſſe plurimas oues, lac præbentes: inueniet opes,& gaudium,& ſeruos, pro ipſarum ouium numero.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, nationem quãdam in ſeruitutem rediget, & ſibi tributariam faciet, eoq́; facto læta bitur, pro ipſarum ouium multitudine.

Si quis oues paſcere viſus ſibi fuerit, & eaſdem amiſiſſe: ad inopiam redigetur, extremamq́; miſeriam.

Si videre viſus fuerit, oues ſuas morbo quodam mortuas: ſi rex eſt, aut procerũ aliquis, in populo ſuo per alium principem adfligetur.

Si quis lac ouillum bibere viſus ſibi fue rit,gaudio potietur, & opibus.

Si rex è vaſe lac bibere viſus ſibi fuerit, gaudium & exultationem inueniet, & cum muliere conſuetudinem habebit, tum vaſis pulchritudini, tum lactis ſuaui tati reſpondente.

Si viſus ſibi fuerit, inuẽtum hircorum gregem in domum ſuam abegiſſe, non repugnãtibus hircis: ſtolidi populi principatum cum repræhenſione accipiet.

Si

Si videre viſus fuerit hircorum gregẽ illum immorigerum, morbum & adflictionem ex poteſtate inueniet.

Si carnem ouillam crudam ederit, hominum calumniator & criminator erit. Metuat autem Deum, & à vitio deſiſtat.

Si quis videre viſus fuerit aliquid mactatum, cui pellis detracta ſit, in domum ſuam illatum: vel ipſe, vel alius è domeſticis morietur.

Si fæminei ſexus mactatum illud erat, ad vxorem ipſius calamitas pertinet.

Si maſculum, de ipſo intelligitur, vel quodam ei ſimili.

Si caput ouis edere visꝰ ſibi fuerit, opes inexpectatas, cũ vita longæua, inueniet.

Si cui viſa per quietem fuerint enata in capite cornua, inſtar arietis: dignitatem inueniet, & pugnam aduerſus hoſtes, pro cornuum modo.

Si quis huiuſmodi cornua fracta videre viſus fuerit, adfligetur atque contumeliam feret in officio dignitateq; ſua, in oculis totius populi.

Si pedes ouillos ediſſe viſus ſibi fuerit, bonam valetudinem cum mediocribus diuitijs inueniet.

Si carnem coctam pinguem edere viſus ſibi fuerit, & iuſculum bibere: inueniet diuitiarum ſuarum incrementum, non ſine contentione, propter manducationem. Si iecur ouis comederit, ingentem vim auri conſequetur.

Si carnem coctam frigidam comederit, & ſordidam: aliorum labore ſine labore fruetur.

Si caudam edere viſus ſibi fuerit, aurũ inueniet, quod manducationi reſpondebit. ac ſi quidem arietis cauda fuerit, aurum hoc ab ampliſſimo quodam viro cõſequetur: ſin agnæ, à muliere.

Si agnum inueniſſe, vel accepiſſe, viſus ſibi fuerit: ſubolem optatam habebit.

Si carnem agninã ediſſe viſus ſibi fuerit, ſubolẽ optatã inueniet, bonamq; ſibi valetudinem hoc ſomnio portẽdi ſciat.

Si gregatim plures agnos inueniſſe viſus ſibi fuerit, gaudio & exultatione beabitur, pro agnorum multitudine.

CCXLIII. DE DIVERSIS CIBIS, IN-*dorum, Perſarum, & Aegyptiorum rationes.*

SI quis panem calidum, & feruentem adhuc, ediſſe viſus ſibi fuerit: opes

cum

cũ cruciatu conſequetur, pro ipſius viſi ratione, propter ignis impedimentum.

Si panem frigidum,cum caſeo:diuitias & proſperitatem inueniet, pro modo manducationis.

Si cum lacte, ſignificantior & ſplendidior eſt interpretatio, propter violẽtam butyri confectionem.

Si palmulas ediſſe viſus ſibi fuerit, ab ampliſſima quadam fæmina proſperitatem,læticiam,& opes conſequetur.

Si fauum mellis ederit, ea nanciſcetur, quæ nũquã ſperauerat:& ſapiens erit,ꝓpter eam,quæ apũ ineſt operi, ſapientiã.

Si viſus ſibi fuerit apiarium fregiſſe,ſeruos emancipabit: ſin ipſemet ſeruus eſt, emancipabitur:ſi pauper,diteſcet.

Si fauum mellis adlatum ſibi rex videre viſus fuerit,de quo comederit:iucundos reditus, atque læticiam de populo ſuo capiet. Nam interpretatio fauiad opus populi ſpectat.

Si videre viſus fuerit, adlatum ſibi fauum mellis, qui melle carebat, prouentus eius deficient.

Si quis ſacharum ediſſe viſus ſibi fuerit,

læticiam peculiarem diuturnam inueniet, pro manducati ſachari modo.

Si oliuas comederit, pro earum copia vitæ acerbitatem experietur.

Si pepones immaturos, in vita ſua pro modo mãducatiõis acerbitatẽ inueniet.

Si pepones maturos, in morbum incidet, propter eorum colorem.

Omnis itidem fructus citreum colorẽ referens, de morbo intelligitur.

Si pepones vulgares ederit, ſanitatem inueniet.

Si [a] anguria, diuitias infidas conſequetur.

Si [b] tetrãgura, res amplior & magis certa portenditur.

a Cucumeres.

b Videntur eſſe, qui ab Italis citranguri dicutur.

Si pruna, terrorem & morbum, inque rebus vniuerſis difficultatem inueniet.

Si quis ad palmam arborem veniſſe viſus ſibi fuerit, & fructum eius ad radicẽ collectum inueniſſe, quem partim comederit, partim abſtulerit: per ſcortationem reſpondentes fructui diuitias mulieris alicuius conſequetur.

Si & alijs de hoc dediſſe viſus ſibi fuerit, alijs quoque proderit.

Si de fico decerpſiſſe maturas ficus, viſus

ſus ſibi fuerit: ab opulento quodam homine conſequetur aurum atque diuitias ampliſſimas, propter multitudinem granorum, quæ intra ficus ſunt. Sin immaturas, ab eiuſmodi viro litem atque rixam expectet.

Si poma comederit, proſperitatem inueniet, pro modo dulcedinis eorum.

Sin acida fuerint, in acerbum caſum & morbum incidet.

Si pira matura comederit, à duro quodam & ampliſſimo viro mediocre lucrũ accipiet.

Si nuces Indicas, ab extraneis & alienigenis gaudium atq; diuitias cõſequetur.

Si nuces vulgares, lucrum ab homine maximo, eodemq́ue parco, cum labore conſequetur.

Si oleũ comędere viſus ſibi fuerit, adflictione liberabitur, & lætitia potietur, quæ olei dulcedini reſpondebit.

Si quis oliuas expreſſerit, olei conficiundi cauſſa: pro expreſſi olei copia, proſperitatem cum labore conſequetur.

Si placentas ederit, deſiderabile bonũ inueniet.

Si comederit ſacharũ cãnarum, quod [a] paludium vocant: in adflictionẽ & morbum incidet, propter eius colorem, & ignem: idq́; pro modo manducationis.

a Ab arundinibus ſiue calamis paluſtribus.

Si caput hominis ederit, auri diuitias conſequetur, & opes ex iniuſticia.

CCXLIIII.

DE CALCEIS, ET TIBIA-*libus, & braccis, ex Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.*

SI quis calceos nouos geſtare viſus ſibi fuerit, in adflictionem & vincula incidet. Sin calceos iſtos abiecit, ſi vinctus eſt, è vinculis liberabitur: ſi in adflictiõe ac ſollicitudine, curis illis ſoluetur.

Si calceos vſitatos fiſſos videre viſus fuerit, in ſeruis ſuis imbecillitatem & morbum experietur. ſi ſeruos nullos habet, ad ſpẽ & negotia ſuą ſomniũ referat.

Si calceos ſuos exuſtos videre viſus fuerit, per principem ſeruos ſuos amittet.

Si quis induiſſe noua tibialia viſus ſibi fuerit, in opibus ſuis nouam voluptatem inueniet, idq́; propterea, quòd tibialibus crura tegantur.

Si videre viſus fuerit, tibialia fuiſſe rubra: lætiçia largior erit.

Si

Si lanea, diuitias citra laborem à principe cõſequetur, pro ipſius lanæ ratione.

Si de goſſipio, & bombo: ſimiliter à miti patrefamilias ditabitur.

Si de metaxa, minores erunt opes, ſed ſplendidiores.

Si mulier viſa ſibi fuerit geſtare tibialia, ſi quidem prægnas eſt, filium pariet.

Si tibialia quis amiſiſſe viſus ſibi fuerit, maiorem diuitiarum ſuarum partem amittet, & in ærumnam ac paupertatem incidet.

Si caligas ſuas ſciſſas videre viſus fuerit, & morbum expectet, & opum cauſſa formidinem.

Si nouas braccas geſtare viſus ſibi fuerit, domum nouam adquiret.

Si ruptas videre viſus fuerit, ſponte ſua faciet expenſas, & gaudium beatamque vitam conſequetur in familia & coniuge ſua.

Si eas amiſiſſe viſus ſibi fuerit, adflictionem & vim experietur in domo ſua. fortaſſis etiam ab vxore ſua ſeparabitur.

Si braccæ ſuæ zonam, ſiue cingulum nouum videre viſus fuerit: nouũ domus

ſuæ cuſtodem adquiret, zonæ pulchritudini reſpondentem.

Si vilem fuiſſe zonam hanc, videre viſus fuerit: parum idoneus, & vilis erit domus ſuæ curator.

Si zonam ſciſſam videre viſus fuerit, ex eodem homine ſollicitudinem & adflictionem inueniet.

Si ruptam, vel ablatam furto: per mortem ab eo ſeparabitur.

Si mulier præter morē braccas viriles geſtare viſa ſibi fuerit, ſi prægnas eſt, ſubolem maſculam cōſequetur, per quam domus ſucceſſionem & hæreditatem impetrabit: ſi grauida non eſt, lęticiæ mariti particeps erit.

CCXLV. DE CINAMOMO, EX *Indorum rationibus.*

CINAMOMVM ad poteſtatem generoſam & acerbam refertur, propter eius tum mordacitatem, tum fragrantiā.

Si quis in ſomnis edere cinamomum viſus ſibi fuerit, poteſtatem cum egregia fama conſequetur ab alio quodam principe, qui & potens erit, & acerbus.

Si quis videre viſus fuerit donatum ſibi ci-

bi cinamomum, aut emptum ab ſe, aut repertum: ab huiuſmodi viro gaudium & opes conſequetur.

Si viſus ſibi fuerit habuiſſe cinamomi arborem in agro, vel domo ſua: (quod viſum regibus duntaxat, aut principibus, aut imperio potituris offertur. Nam arboris eius interpretatio maximum ad dynaſtam, & celeberrimum pertinet: & quî fieri poſſit, vt qui tale habuit ſomniũ, humilis ſit condicionis, & plebeius?) rex erit, aut maxima cũ poteſtate princeps.

Si de fructu eius alteri dediſſe viſus fuerit, cum illo diuitias & poteſtatem ſuam communicabit.

Si rex viſus ſibi fuerit arborem huiuſmodi cõſequutus, quam excoluerit: cognatum quendam ſuum amore complectetur, & euehet.

Si cinamomum eradicaſſe viſus ſibi fuerit, eiuſmodi virum è regia ſua radicitus extirpabit.

CONSIMILITER EX PERſarum & Aegyptiorum rationibus. CCXLVI.

SI quis edere cinamomũ viſus ſibi fuerit, & eminentiam, & præclarum no-

men in familia ſua conſequetur, propter oris fragrantiam.

Si viſus ſibi fuerit copiam cinamomi nanctus, opes cum ſubole generoſa conſequetur.

Si ſtrenæ munerisq; loco cinamomum accepiſſe viſus ſibi fuerit, è peregrina terra gaudio beabitur.

Si cinamomo veſci viſus ſibi fuerit, duram atque ſplendidam poteſtatem inueniet, pro modo manducationis.

Si ex eo factus fuit temulentus, prout hauſit, opes inueniet.

Si rex adlatum ſibi cinamomum videre viſus fuerit, nuntium de peregrinis nationibus accipiet, ipſis quidem acerbũ & ærumnoſum, propter lacrumam: at regi læticiæ & exultationis plenum, propter fragrantiam.

Si rex alijs cinamomum dare viſus ſibi fuerit, eos huiuſmodi nuntio beabit.

CCXLVII. DE CORONIS, ET VNIOnibus, *& gemmis, ex Indorum diſciplina.*

CORONA, regis ad perſonã pertinet: ſertum, ad alterum à rege, vel ad hominis fidelis de fide teſtimonium.

Vnio-

Vniones, & magni pretij gemmæ, ad oracula diuina, & Dei cognitionem, & ſapientiam diuinã, plerunq; referuntur.

Si quis ergo coronam geſtaſſe viſus ſibi fuerit, ſi regij generis eſt: imperio potietur. ſin plebeius, & idoneorum tamen è numero, ad eminentiam perueniet, ac regi ꝓximus, immò ſecundus erit à rege.

Si mulieri viſum hoc oblatum fuerit, quæ maritum habet, & quidem idoneũ: regno potietur. Sin autem, perinde vt is de quo modo loquebamur, ad eminentem aliquam dignitatem euehetur, & marem procreabit.

Si quis videre viſus fuerit, impoſitum capiti ſuo ſertum, de pretioſis gemmis, & vnionibus confectum: pro modo pulchritudinis ſerti, quicunq; tãdem fuerit, & opes inueniet, & eminentiã, & gloriã.

Si de fidelium & religioſorum numero eſt, pro Chriſto martyriũ ſuſtinebit, & celebris erit. Si mulier huiuſmodi ſomniũ habuerit, homini poteſtate prædito nubet, ac gloriã inueniet. Quippe maritus eſt ſertum atq; corona mulieris.

Si q̃s accepiſſe viſus ſibi fuerit ab aliquo, vel

vel inueniſſe gemmas, aut vniones magni pretij: diuinorum dogmatum ſplendorem inueniet, pro modo magnitudinis & ſplendoris ipſarum gemmarum.

Si rex viſus ſibi fuerit in conſpectu populi geſtaſſe coronam cãdidam, ex vnionibus confectam: magnificẽtiam atque decorem erga populum ſuum inueniet, & venuſtatem coronæ reſpondentem.

Sin erat ea de rubri coloris gemmis, quas lychnitas vocant, cõfecta: gratiam atque gaudium ſplendidiſſimũ inueniet, magiſq; formidoloſus hoſtibus erit.

Si de gemmis veneti coloris, deminutionem regni ſui, propter eum colorem, experietur.

Si de praſini coloris gemmis, celebratiſſimum apud omnes nomen inueniet, tam fidei, quàm regni reſpectu. Nam praſinus gemmarum pretioſarum color, vniuerſè de recta fide, ac religioſa in Deum pietate accipitur.

Si rex alium quendam coronare viſus ſibi fuerit, ſi cognatus is regis eſt, regiam illi dignitatem tribuet: ſin à familia regis alienus, mortis periculum coronato portenditur.

Si

Si rex viſus ſibi fuerit accipere coronã aliam, recens confectam: filium & hæredem, regni futurum participem, conſequetur.

Quicunque deprælienduntur honores ſibi regios vſurpare, mortem merentur. quòd ſi cui per quietẽ oblatum fuerit, quaſi à rege accepta corona redimitus fuerit: ſi non eſt è numero cognatorum regis, ad inſignem euehetur gloriã, & malè peribit. ſin ex cognatis eſt, imperio potietur.

Si rex videre viſus fuerit ademptam ab aliquo ſibi noto coronam, idq; per amicitiæ ſpeciem, vel fraude: per illũ ipſum, aut alium ſimilem regnum amittet.

Si rex videre viſus fuerit auctum & ornatum, & vniones, & gemmas purpuræ ſuæ, præter morem: in fide ſua, & regno, ſplendorem inueniet, ac ſublimitatem, & magnificentiam.

Sin ornatus ille, de quo diximus, aliqua ſui párte deminutus fuerit: etiam fides, & regnum eius, imminuetur.

DE CORONA, ET SERTIS, CCXLVIII.

Perſarum Aegyptiorumq́ rationes.

SI quis coronā regiam geſtare viſus ſibi fuerit, variè notis quibuſdam gēmis & vnionibus inſertis ornatam atque diſtinctam: quicunque ſomnium hoc habuerit, & regnum, & gloriam coronæ reſpondentem, inueniet.

Si gemmas & vniones inſtar inaurium de corona pēdentes, videre viſus fuerit, regnum obtinebit, quod gemmarum tū magnitudini, tum elegantiæ reſpōdebit.

Si rex inaures huiuſmodi, ſiue gēmas penſiles coronæ ſuæ, videre viſus fuerit abſciſſas: regia ipſius aula perparum erit ornata, nec varijs diſtincta coloribus.

Si rex coronam ſuam alteri dediſſe, viſus ſibi fuerit: in conſilio regio regnabit is qui coronam accepit.

Si deponendæ coronæ cauſſa, illi homini duntaxat eam porrexit: adprime regi familiaris erit is, cui corona fuerit oblata.

Si eam notæ mulieri dedit, ſiquidem Auguſta eſt, regem pariet: ſin alia, concubinæ illam loco habebit.

Sin ignotæ, tempus ſanè proſperum rex inueniet, pro mulieris ipſius forma:

quæ

quæ quidem ſi deformis fuerit, durum & aduerſum tempus experietur.

Si rex videre viſus fuerit coronam ſuam lapſam, & fractam, & ornatum illius atque gemmas diſperſas: difficultates, inſidias, adflictiones ſentiet, quas tamen ſuperabit, idque propter eam cauſſam, quòd ornatus rurſum colligi poſſit, & corona refici.

Si videre viſus fuerit eam ab alio per vim ablatam, vel ademptam furto, vel ita deperditam, vt nuſquam exſtaret: amiſſo regno, viuendi finem faciet. Nec enim fieri poteſt, vt amiſſo regno, rex amplius viuat.

Regia chlamys ad coniugem regis refertur, itidemq; ad ornatum & læticiam ipſius.

Si ergo videre viſus fuerit ornatum chlamydis ſuæ, & vniones eius, & gemmas auctas: ex Auguſta, & ornatu eius, voluptatem capiet.

Similiter & regia tunica regis ad perſonam refertur. Itaque ſi per quietem oblatum ei fuerit, quaſi tunicæ maius ornamentum, & vnionum gemmarumq; pondus

pondus acceſſerit: regnum ipſius & ornatius, & elegantius erit. Sin ornatus hic deminutus fuerit, & margaritæ ac gemmæ inutiles exilesq; factæ: regnum eius & deminuetur, & adfligetur.

Si videre viſus fuerit quendam è magnatibus ſuis, qui partem ornatus regij geſtaret: oblectationem ex dignitate ſua capieris qui ea geſtabat, ac tandem miſero interitu peribit.

Si rex viſus ſibi fuerit inueniſſe margaritam vnam, maximi æſtimatam: pro modo pulchritudinis eius, fœminam inueniet.

Si gemmas & margaritas adlatas ſibi videre viſus fuerit, pro earum multitudine gaudio potietur.

Si alij viſum hòc oblatum fuerit, quaſi rerum iſtarum magnam nanctus ſit copiam: diuitias copiæ reſpondentes, & gloriam inueniet, cum metu regis. nam regi duntaxat iſta conueniunt.

Si mulier huiuſmodi ſomnium habuerit, quãtum ſanè gemmarum vel habuit, vel geſtauit: tantundẽ & gloriæ lęticiæq; cum marito ſuo inueniet.

DE DIVERSIS ARMORVM *ſpeciebus, Perſarum & Aegyptiorum interpretationes.* CCXLIX.

SI quis viſus ſibi fuerit, abluto corpore, veſtem induiſſe: miſeria liberabitur, & ad gaudium gloriamq; perueniet, pro veſtis ipſius elegantia.

Si videre viſus fuerit collapſum domus ſuæ parietem, vxor eius morietur. Si vxore caret, curatorem domus amittet.

Si parietem rurſus ſtruxiſſe viſus ſibi fuerit, in horum loca ſuccedent alij.

Si quis viſus ſibi fuerit colligere tela ſiue ſagittas, hominibus ille mortem molietur.

Si quis ſagittam emiſiſſe viſus ſibi fuerit, aut à ſagitta læſus: is qui tactus ab alio fuerit, morietur. ſi non fuerit mortuus, in difficultatem & cruciatum ingentem incidet.

Si quis ab aliquo viſus ſibi fuerit enſem duntaxat nudum accepiſſe, coniux eius morietur.

Sin theca ſalua eſt, enſe rupto: filius ei morietur, vxore ſalua.

Si quis apoſtolicum de pilis cõfectum,

vel ſericum, geſtare viſus ſibi fuerit: per vxorem ſuam proſperitate potietur.

Si viſus ſibi fuerit inueniſſe vel accepiſſe ſindonas ſiue lineas telas, aut ſimplicia ſtragula; pro eorum elegantia, mu lierem inueniet.

Si magnam armorum copiam habere viſus ſibi fuerit, & vir ampliſſimus eſt: ea de ſecuritate ab hoſtibus intelligat.

Si pauper eſt, qui tale ſomnium habuit, diteſcet.

Si quis inueniſſe, vel habere thoracem ſiue loricam, viſus ſibi fuerit: aurum & opes intrepidè, ſumma cum audacia conſequetur.

Si gladium inueniſſe viſus ſibi fuerit, quem & geſtauerit: & poteſtatem, & filium conſequetur.

Si arcum tenſum reperit, iter quoddam ſuſcipiet, ac feliciter eo confecto reuertetur.

Si neruum eius inciſum videre viſus fuerit, ab itinere ſuo repelletur, & in ærumnam incidet.

Si tela cum arcubus tenuiſſe viſus ſibi fuerit, cũ gaudio ſuis hoſtib⁹ inſultabit.

Si

Si arcum ſuum fractum videre viſus fuerit, & ab hoſtibus formidinẽ, & vxoris ſuæ morbum, fortaſſis & mortem illius expectet.

Si quis ab aliquo gladium, vel cultrum, vel è ferro confectum aliquid, ſiue ſcindat, ſiue non ſcindat, vel rude ferrum accepiſſe viſus ſibi fuerit: ſi quidem opulẽtus eſt, magis diteſcet: ſin pauper, & ipſe maiores adquiret opes, pro illius modo atque copia quod accepit.

Si quis haſtam accepiſſe viſus ſibi fuerit, & ampliſſima fama potietur, & filio: pro haſtæ magnitudine.

Sin haſtam ab aliquo ſublatam ademptamq; videre viſus fuerit, exiſtimationem & famam perdet.

Si quis accepiſſe dono manclauia viſus ſibi fuerit, poteſtatem conſequitur. ſin ademptũ ei mãclauium fuerit, & ipſe cũ poteſtate eſt, poteſtatem ſuam amittet.

Si per quietem videre viſus fuerit, quaſi manclauium ipſius ſcinderetur: experietur adflictionẽ in poteſtate ſua, prout latè ſciſſum manclauium fuerit.

Si quis inueniſſe charzanium viſus ſibi

fuerit, poteſtatem ea minorẽ inueniet, quæ per manclauium portenditur: & eiuſdem cum illo interpretationis.

Hic quoque folium vnum perijt.

* * *

CCLIX.

DE ANVLO, EX INdorum diſciplina.

SI quis anulum inueniſſe viſus ſibi fuerit, eumq́; geſtaſſe: ſiquidem idoneus eſt, poteſtatem ampliſſimam conſequetur: ſin autem, vxorem & opes inueniet, ac maſculam ſubolem procreabit.

Si quis anulum ſuum ruptum videre viſus fuerit, poteſtate ſua excidet, ac fortaſſis vxorem quoque, vel filiũ amittet.

Si quis anulo ceram vel lutũ obſignare viſus ſibi fuerit, & alij tradere: qui accepit, ab eo poteſtatem conſequetur, qui obtulit: ſin poteſtate præditus eſt, gaudium atque proſperitatem.

Si videre viſus fuerit anuli gemmam refixam, & vxor eius, & liberi morbo corripientur.

Si fiſſa fuerit, filius eius morietur, & ipſe in magiſtratu poteſtateq́; ſua miſerias experietur.

Si

Si quis anulum ſuum, duas in partes fractum, lapſumque videre viſus fuerit: vxoris morbum videbit, & liberorum interitũ, & poteſtatis ſuæ deminutionẽ.

Si viſus ſibi fuerit anulũ accepiſſe, qui gemmam ruſſatam contineret: poteſtatem illuſtriorem conſequetur, & læticiam, pro ipſius gemmæ ſplendore.

Si gemma praſini coloris erat, & poteſtatem & fidem bonam inueniet, pro ipſius gemmæ puritate.

Si auri colorem gemma referebat, & morbis & ærumnis obnoxiam vxorem iuueniet.

Si gemma veneti coloris erat, coniuncta cum margaritis: opes atque dignitatem inferiorem conſequetur.

DE ANVLO EX PERSArum *& Aegyptiorum diſciplina.* CCLX.

ANVLVS ad regni confirmationem refertur. Nam ex eo ſępe reges intelliguntur, etiam ſine ore.

Si rex viſus ſibi fuerit anulum alteri dediſſe, poteſtatem illi eximiam inter domeſticos ſuos dabit.

Si anulum dedit, aut adfixit Auguſtæ

manui:ſiquidem illa prægnas eſt, regem pariet: ſin autem, nihilo minus concipiet, ac marem edet.

Si rex manui ſuæ duos adfixiſſe viſus ſibi fuerit anulos, priſtinum cum alio nouo: poſt eum filium, quem habebat antea, conſequetur alium.

Similiter in Auguſta eadem eſt interpretatio. quæ quidem ſi filio caret, duos habebit, cum duplici gaudio.

Si rex viſus ſibi fuerit ſigilla de anulo nonnullis dare, ſublimes illos ad dignitates euehet, & arcanorum ſuorum cõſcios faciet.

Si rex anulum ſuum diſciderit, in Auguſtæ perſona calamitatem habebit.

Si quis anulum emiſſe viſus ſibi fuerit, & geſtaſſe . . . . . poteſtatem conſequetur, & vxorem, pro modo pulchritudinis anuli.

Si quis viſus ſibi fuerit anulum, de manu ſua ſumptum, alterius noti hominis manui adfixiſſe: illum hæredem, & in poteſtate ſua ſucceſſorem inſtituet.

Generaliter anulus ad eos refertur qui poteſtates tribuũt, & regna concedunt:

ac ſi

ac ſi qui hoc facere nequeunt, ijs lætitiã, & liberos, & vxores portendit.

DE SELLIS, ET THRONIS, CCLXI.
Perſarum & Aegyptiorum interpretationes.

SELLA dignitatẽ, aut vxorem denotat. Si quis inueniſſe ligneam ſellam viſus ſibi fuerit, & in ea ſediſſe: virorũ amplisſimorum poteſtatem inueniet.

Si ſellam ferream, vxorem nobilẽ conſequetur, & poteſtatẽ, & opes: ita tamẽ, vt hæc omnia ſint inferiora, quàm quæ per ligneam ſellam portenduntur.

Si ſella peregrina, & parua erat, in qua ſedebat: cum extranea muliercula rem habebit.

Si & lignea ſella peregrina erat, aut thronus: ad poteſtatem & vxorem refertur. Quidquid his acciderit, in huiuſmodi perſonis ſuum habebit euentum.

Thronus regius ad regem refertur, aut ad filium ſucceſſorem.

Sella regia refertur ad Auguſtam.

Quidquid his factum fuerit, proſperũ vel aduersũ: illis ipſis perſonis eueniet.

Si rex videre viſus fuerit alium in throno ſuo ſedentem, is homo regi ſtruet in-

ſidias, propter ipſius facti conatusq; nouitatem.

Si ſtolam regiam habebat is, qui regis in throno ſedebat: ſucceſſor regis erit.

CCLXII. DE VELIS, ET VELAMINI-*nibus, ſiue tapetibus, Indorum, Perſarum, Aegyptiorumq; rationes.*

VELA, & opercula ſiue velamina, adflictionem acrem, & ploratum, & grauem dolorem portendunt, pro ipſorum velorum quantitate ac modo.

Si quis in domo ſua præter morem ſuſpenſa vela videre viſus fuerit, adflictionẽ & dolorem ingentem experietur.

Quòd ſi vela valde ſpiſſa ſunt, & magna: erit & adflictio tum acrior, tum diuturnior.

Sin ea rariora minoraq; ſunt, ærũnam quoque minorem eſſe neceſſe eſt.

Cõſimiliter & de coloribus iudicãdũ.

Si vela varios colores habẽt, aut nigra ſunt: erit & adflictio conſimiliter acrior.

Si alba, vel alterius coloris, ex ijs, quos ad lætitiam ſuprà retulimus: celerrima ex adflictionibus liberatio portenditur.

Si velum duntaxat vnum in domo ſuſpen-

peſum eſt, vnica erit adflictio: ſin plura, eorũ numero & ærumnæ reſpondebũt.

Si quis hæc in aliena domo videre viſus fuerit, ad domus illius dominum omnia referat.

Si quibuſdam velaminibus viſus ſibi fuerit texiſſe domum, vel ſolarium, vel nauem, inſtar vmbraculi nubis: adflictionem & difficultatem minorem inueniet, pro ratione ipſius velorum operis, & interpretatione.

Si rex ſellaria ſua fracta videre viſus fuerit, Auguſtæ miſeria portenditur, & regijs fæminis.

Si rex viſus ſibi fuerit eſſe in naui, totamq; nauim operire: calamitas exercitui eius imminet.

Si rex videre viſus fuerit ſuſpenſa quodam in templi, vel domus loco præter morem, vela: & adflictionem, & ſollicitudinem inueniet, pro ratione velorum & locorum.

Sin & illa pariter, & alia, quæ prius ibidem eſſe ſolebant, ablata videre viſus fuerit: ex adflictione ac ſollicitudine liberabitur, ac gaudio potietur.

CCLXIII. DE TEXTVRA TELÆ, PERſarum & Aegyptiorum interpretationes.

SI quis viſus ſibi fuerit telam pro more texere, quæſtum in negotiatione ſua faciet, operi texturæ reſpondentem.

Si textura ſpiſſa fuerit, expeditionem ſuſcipiet, ex qua quæſtum faciet, pro ipſius telæ qualitate.

Si tela citrei coloris erat, in morbum incidet is qui ſomnium habuit. ac ſi quidem opus eius ad finem iam perductũ erat, morietur: ſin duntaxat inchoatum, diuturno cum morbo conflictabitur.

Si quis telam ordiri viſus ſibi fuerit, tardum iter inueniet, propter ipſam operis tarditatem.

Sin eam parat, ſi quidem ipſius eſt, ad iter ſeſe parabit: ſin alterius, alterum ad iter inſtruet.

CCLXIIII. DE CIRCVMVOLVTIONE fuſi, Perſarum & Aegyptiorum rationes.

SI quis lanam ouis aut caprarum nere viſus ſibi fuerit, aut pilos, aut cannabim, quod ſanè virorum à moribus non abhorret: & iter, & lucrum operi reſpondens inueniet, propter id lucrum, quod

Si

hinc percipitur.

Si goſſipium nere viſus ſibi fuerit, aut linum: humiliabitur, & ignominia notabitur, idq́; propterea, quòd opus hoc muliebre ſit.

Si mulieri talia viſa ſemet obtulerint, maritum ſuũ abſentẽ peregrè recipiet.

Si mulier inter nendum viſa fuerit ſecuiſſe filũ, abſens peregrè maritus moram faciet.

Si videre viſa fuerit, quaſi verticillum fuſi ceciderit: à marito ſuo ſeparabitur vel morte, vel quadam ex cauſſa.

DE PEPLO, PERSARVM *& Aegyptiorum explanationes.* CCLXV.

SI mulieri per quietem oblatum fuerit, quaſi peplum eius ab aliquo per vim ademptum ei ſit, vel prorſus abſciſſum: maritus eius morietur, aut in vniuerſum ab ea diuertet.

Sin ex parte ſciſſum videre viſa fuerit, maritus eius oppreſſionem atque terrorem magnum à magiſtratu habebit.

Si videre viſa fuerit ablatum furto, ad eundem hoc furtum ſpectat, quodam ſcilicet ſtruẽte marito mulieris inſidias.

Si

Si maritus vxori ſuæ peplum furto ademptum videre per quietem viſus fuerit: fraude maritus ipſemet vxorem ſuam circumueniet, cum altera per adulteriũ ſeſe polluens.

Si mulieri, vel viro per quietem oblatum fuerit, quaſi mortuus aliquis ab eo pallium poſceret: hoc ad mariti perſonã, vel filij, vel filiæ, refertur.

Similiter ſi fauſti quid acciderit in eadem veſte, ad eaſdem perſonas refertur.

Si mulier videre viſa fuerit peplum ſuũ maius, & pulchrius factũ: in marito, vel filio ſuo, læticiam inueniet.

Si peplum ſuum ſcidiſſe viſa ſibi fuerit, adflictionem & ſeparationem vel à marito, vel à filio, patietur.

Si peplũ duntaxat geſtare viſa ſibi fuerit, idq; ſic amiſerit, vt in conſpectu populi planè diſcooperta ſit: è ſcortatione malum ei portẽditur, omnibusq; ſpectaculo erit, & infamia notabitur.

Si mulier viro carens huiuſmodi ſomnium habuerit, calamitas iſta referetur ad eius ſubolem, vel fratrem, vel genere proximum.

INTERROGATIO. CCLXVI.

MAritata quædam mulier conſuēto ſomniorum interprete, verbis illum huiuſmodi cōſuluit. Viſa ſum per quietem non tecta in medio populo obambulare. quid hoc rei portendit obſecro? Tum ille, maritúmne haberet, interrogat. Illa ſe maritum habere faſſa, ſed qui abeſſet peregrè: Non amplius eum videbis, ait. Vti prædixerat, ita res euenit, illo peregrè mortuo.

DE CAPILLIS MVLIEBRI- CCLXVII.
bus, ex Perſarum & Aegyptiorum ſententia.

SI mulier videre viſa fuerit tonſos capitis ſui capillos, aut maritus eius moritur, aut ab eo ſeparatur.

Si viſa ſibi fuerit ex parte tonſa, inter maritum & ipſam lis erit de diuortio.

Si per quietem oblatum ei fuerit, quaſi notus quiſpiam præhenſos ipſius capillos à tergo reſecet: is homo cum marito mulieris conſilium de diuortio clandeſtinum inibit.

Si videre viſa fuerit aliquem capillos ab antica parte tenētem, & reſecantem: is apertè diuortium inter eos molietur, propter

propter factam à fronte tonſuram.

Si quis vxorem propriam totondiſſe viſus ſibi fuerit, perductor & leno eius erit, ipſo prudente ac ſciente ſe polluentis adulterio, & ab eadem ſeparabitur.

Conſimiliter ſi viſus ſibi fuerit vxorem alienam totondiſſe, partim portenditur, hunc hominem inſidiaturum mulieri: partim ad mariti diuortium refertur.

Si mulier ægrotans, viſa ſibi fuerit tonſa: morietur. ſin maritus ægrotat, & ipſa ſomnium hoc habuit, maritus mulieris morietur. Nam tonſura diuortium portendit.

CCLXVIII.

DE VIRIS ET MVLIERIbus, *ſtolas inter ſe permutatas geſtantibus, ex Perſarum diſciplina.*

SI vir quiſpiam viſus ſibi fuerit præter morem geſtare ſtolam muliebrem, in opibus ſuis aduerſos caſus experietur, cum metu principis, & dedecore veſti reſpondente.

Si mulieris inſtar ſabanum geſtare, viſus ſibi fuerit: occultum quoddam malũ ſentiet, ad propinquitatem interitus ſui.

Si quis vxoris propriæ ſtolam geſtaſſe, viſus

viſus ſibi fuerit: humiliationem & turpitudinem erga coniugem ſuam inueniet.

Sin vxoris alienæ ſtolam geſtaſſe, viſus ſibi fuerit: publicè vniuerſis ſpectaculo erit.

Si mulier viſa ſibi fuerit geſtare [a]cabadium ſcaramangij, vel faceolium virile: ex viro ſuo gaudium atque delectationem capiet. [a] De his ſup. cap. 131.

Sin aliam quandam ſtolam, & prægnas eſt: maſculum pariet.

Si braccas geſtare viſa ſibi fuerit, hoc ipſum quoque de ſubole maſcula intelligitur, & ſucceſſione in domo viri.

Si tibialia geſtare, virilesq; calceos, viſa ſibi fuerit: tibialia de maſcula ſubole, calcei de ſeruis accipiuntur.

Si mulier arma bellica virilia geſtare viſa ſibi fuerit, poteſtatem per maritum ſuum inueniet, & ab hoſtibus ſecuritatem, vel per filium, vel curatorem domus ſuæ. Quòd ſi arma erant ferrea, maritus eius & opibus, & vita longa potietur: ſin de goſſipio, vel lana, diuitias illis reſpondentes conſequetur.

DE

CCLXIX. DE LEONE, AC FERIS *beſtijs, ex Perſarum & Aegyptiorum ſententia.*

LEo regis ad perſonam refertur.

Si quis per quietem cum leone rixari, vel pugnare, viſus ſibi fuerit: ſi rex eſt, aut vir ampliſſimus, cum principe quodam, hoſte ſuo, vel alio rege bellum geret: quiq; viciſſe per quietem viſus fuerit, reapſe victoria quoque potietur.

Si plebeius aliquis huiuſmodi ſomniũ habuerit, conſequens erit, vt vel aduerſus regem perduellis fiat, vel cum orco luctetur.

Si quis leoni morigero inſidere ac vehi viſus ſibi fuerit, ſiquidem ad hoc idoneus eſt, regno potietur: ſin autem, ampliſſimam poteſtatem conſequetur, per quam principem quendam, hoſtem ſuum, deprimet.

Si quis leonem videre viſus ſibi fuerit, cum quo nòn pugnauerit, ſed ab eo dun taxat territum ſe putauerit: illi à principe, rerum potiente, metus atque trepidatio portenditur.

Si regius eſt quiſpiam, cui viſum hoc oblatum

oblatum fuit: à rege homini periculum imminet, tandemq́; læto fine potietur: idq́; ꝓpterea, quod nihil ei leo nocuerit.

Si quis videre viſus fuerit, leonem à facie ſua conuerſum aufugiſſe: ſi rex eſt, fama duntaxat ipſius impulſum regnum aliud, ei cedet, ac ſe ſummittet. Sin plebeius, magno metu periculoque liberatus, læticiam conſequetur.

Si q̃s veſci carne leonina viſus ſibi fuerit, à rege diuitias & poteſtatem conſequetur, hoſtemq́; ſuum proteret.

Si quis lac leoninum bibiſſe viſus ſibi fuerit, formidoloſas opes & læticiam à rege conſequetur.

Si quis membrum aliquod leonis ediſſe viſus ſibi fuerit, ſi rex eſt, alterius regni partem adquiret: ſin plebeius, aurum & opes à rege accipiet, atque hoſtem in poteſtatem rediget.

Si quis ſtercus leonis inueniſſe viſus ſibi fuerit, ac ſuſtuliſſe: diuitijs potietur minoribus, quàm eæ ſint, de quibus eſt dictum.

Si viſus ſibi fuerit iecur leoninum, vel medullam inueniſſe: ſi rex eſt, aut vir am

pliſſimus, aureos priſcorum regum theſauros inueniet. ſin plebeius, opes & familiaritatem regis impetrabit.

Si quis pellem leonis per quietem inuenerit, ſi rex eſt, aut vir ampliſſimus, omnes diuitias & aurũ aduerſarij regis conſequetur: ſin plebeio viſum hoc oblatum fuerit, (quanquam difficulter hoc alijs offertur, præter ampliſſimos viros) confeſtim opulentus erit. Si rex videre viſus fuerit, leonẽ ad ſe vinctũ perduci: hoſtem maximum capiet. Sin leænam vinctam ad regem perducunt, hoſtis maximi vitæ conſortem vinculis habebit.

Si catulos leoninos, & leænam mãſuetam habere viſus ſibi fuerit: hoc ipſum ad Auguſtam, eiusq; liberos interpretando referat. ac ſi quidem in regia videbantur educari, gaudium ſibi portendi ſtatuat, & liberorum in regno ſucceſſionẽ.

Si rex in venatu leonem occidere viſus ſibi fuerit, in bello principem quendam, hoſtem ſuum, opera ſubditorum ſuorum interficiet.

Si rex cum leone viſus ſibi fuerit amicè colloqui, admirabili quodam modo cũ

alio

alio regno pacẽ colet, prout ingẽs miraculũ eſt in iſta cũ leone colloquutione.

DE ELEPHANTO, EX INdorum diſciplina. CCLXX.

ELEPHANTVS ad ampliſſimum & opulentum virum interpretando refertur: non tamen ad inimicitias maximas, ſed mediocres.

Si quis elephantum venatu cepiſſe, vel habere viſus ſibi fuerit: opulentum quẽdam, & auro abundantem capiet: atque hoc ſanè viſum regibus duntaxat offertur, quibus ſolis competit. Si tamen hoc ſomnium aliquando plebeius quiſpiam habuerit, ad fines excelſitatis regiæ propiùs accedet. Si quis elephanto vehi viſus ſibi fuerit, princeps erit, & principis alicuius ampliſſimi poſſeſſionibus potietur. Si videre viſus fuerit elephantum ſuum mortuum, adflictione quidẽ ille modica vexabitur: ſed de mediocribus diuitijs nihil ei decedet. Nam elephanti diuitiæ, ſunt vſus oſſium.

Si quis eliphanti ſtercus inueniſſe viſus ſibi fuerit, opes ab ampliſſimo viro conſequetur in numerata pecunia, pro fimi copia.

DE ELEPHANTO, EX PERſarum & Aegyptiorum monumentis.

CCLXXI.

ELEPHANTVS de viro excelſo, poteſtate prædito, extraneo, diuitias ingentes poſſidente accipitur: idque propterea, quòd non vbique capiatur, ſed tantùm in India.

Si rex videre viſus fuerit elephãtos plures ligatos ad ſe perduci, vel vnum duntaxat: viros principes ampliſſimos, opulentiſſimos, ſed parum præſtantes in rebus bellicis, vinctos accipiet.

Si ſine vinculis ferreis hoc factum fuerit, prędicti magnates ad eum ſponte ſua morigeri facti venient.

Si rex imperaſſe viſus ſibi fuerit, vt elephantus cæderetur, oſſium ſuorum cauſſa: virum eiuſmodi occidet, ac diuitias eius auferet.

Si rex elephanto vehi viſus ſibi fuerit, ad eminentiam gaudiumq; perueniet, ac maximas opes conſequetur.

Si quis elephanto miniſtrare viſus ſibi fuerit, in cibo ac potu: ampliſſimo viro ſeruiet, ac quæſtum ex eo faciet.

Si quis elephantum peregrinum ſubitò do-

tò domum ſuam ingreſſum videre viſus fuerit, & gaudium & liberationem ab ærumnis inueniet.

Si viſus ſibi fuerit elephanti oſſa, vel ſtercus inueniſſe: hoc ipſum de opibus intelligat.

DE PARDO, EX PERSArum & Aegyptiorum diſciplina. CCLXXII.

PARDVS ad hoſtem, cum quo nulla eſt conciliatio, refertur.

Si quis cum pardo pugnare viſus ſibi fuerit, ſi cum poteſtate eſt, aut belli dux, cum hoſte potente, fraudulento, & formidoloſo bellum geret. ac ſi quidem viſus ſibi fuerit coëgiſſe belluam terga dare, hoſtem in fugam conijciet: ſin eam occidit, hoſtem cædet.

Si pauperi viſum hoc oblatũ fuerit, aut homini plebeio: in cruciatum ac metũ principis alicuius cauſſa incidet.

Si viſus ſibi fuerit à pardo vulneratus, in morbum & iram ſuppliciumq; graue principis incidet. Nam vulnus inflictum à pardo virus habet.

Si quis edere pardi carnẽ viſus ſibi fuerit, opes atque gloriam inueniet.

Si pardo inſidere viſus ſibi fuerit, ſi rex aut princeps eſt, hoſtem potentem ac magnum ſibi ſubijciet: ſin plebeius, magnam ad gloriam perueniet, ac magiſtratus erit.

Si pardum videre viſus fuerit, atque ſe pariter & pardum expauiſſe, ſine pugna & læſione mutua: terrorem principis ac difficultatem experietur.

Si rex pardum, vel pardos adlatos ſibi videre viſus fuerit: hoſtem cõtumacem, & potentem, captiuum accipiet.

Sin manſuefactum pardum adduci viderit, ingentem rex famam gloriamque conſequetur, ex eiuſmodi hominis in ordinem coacti ſubiectione.

CCLXXIII. DE LEOPARDO, EX PERſarum & Aegyptiorum monumentis.

LEOPARDVS ad hoſtem nobilem, & magnum, & ad regem refertur: propter nobilitatem ipſius feræ, quæ animalia cætera ſibi ſubijcit, ipſa parum alijs paret.

Si quis cum leopardo colluctari, vel pugnare viſus ſibi fuerit: ſi rex eſt, aut princeps, cum alio nobili regẽ bellum geret:

geret: & is, qui per quietem vicerit, reapſe victoria potietur.

Si pauper quiſpiam, vel plebeius, huiuſmodi ſomnium habuerit: à rege, vel principe, terrorem & cruciatum inueniet.

DE VRSIS, EX PERſarum rationibus. CCLXXIIII.

INTERPRETATIO vrſi ad hoſtem opulentum, & potentem, & ſtolidum, & audacem pertinet.

Si quis vrſum interfeciſſe viſus ſibi fuerit, hoſtem eiuſmodi conficiet, eique ſuccedet.

Si vrſo inſidere viſus ſibi fuerit, eoque vehi: poteſtatem mediocrem inueniet.

Si vrſum gladio percuſſiſſe viſus ſibi fuerit, ex hoſte ſuo pereunte lætitiam percipiet.

Si carnem vrſinam comediſſe viſus ſibi fuerit, pro modo manducatæ carnis opes ab hoſte ſtolido & opulento conſequetur.

Si pellem vrſinam ſuſtuliſſe viſus ſibi fuerit, omnes hominis eiuſmodi diuitias lucrabitur.

Si lac vrſinum bibere viſus ſibi fuerit,

terrorem à magiſtratu inueniet,ac morbum diuturnum.

Si caput eius ſuſtuliſſe viſus ſibi fuerit, vel quod ab alijs adlatum acceperit: ab hoſte ſtolido diuitias, & quidem ipſam diuitiarum eius ſortem ac ſummam inueniet.

DE HYÆNA, EX PERSArum & Aegyptiorum monumentis.

CCLXXV. HYÆNA de muliere mala,ſubſannatrice, venefica, magicam exercente,intelligitur.

Si quis igitur hyænæ viſus ſibi fuerit inſidere, cum eiuſmodi muliere rem habebit.

Si iaculum, vel lapidem in hyænam conieciſſe, viſus ſibi fuerit: cum ea rixabitur.

Si cum hyæna pugnans, eam haſta per vim iugulaſſe viſus ſibi fuerit: cum eiuſmodi muliere conſuetudinem habebit.

Si carnem hyænæ comedere viſus ſibi fuerit, veneficijs à tali muliere circumuenietur, eaque diu durabunt, pro modo manducationis.

Si lac hyænæ bibere viſus ſibi fuerit, in

in auro ſuo detrimentum accipiet, & ad inopiam redigetur.

DE LVPO, EX PERSARVM & Aegyptiorum diſciplina. CCLXXVI.

LVPVS ad perſonam hominis auari & & infidi refertur.

Si quis cum lupo pugnare viſus ſibi fuerit, ab eiuſmodi principe poteſtatem ac bellum accipiet. Quòd ſi lupum iugulaſſe viſus ſibi fuerit, & is cui viſum hoc offertur, cum poteſtate eſt: hoſtem eiuſmodi delebit. Sin à lupo vulneratum, vel morſum ſe videre viſus fuerit: cruciatum & vim ab hoſte iniuſto & auaro feret.

Si rex oues habere viſus ſibi fuerit, quas adorti ſint lupi: talis hoſtis populũ ipſius inuadet, proque graſſationis lupi modo, populum perdet.

Si rex canes aduerſus lupos miſiſſe viſus ſibi fuerit, cum alienigenis hoſtem ſuum oppugnabit, proque canum ipſorum ſtrenuitate, hominem proteret.

Si rex adlatum ſibi lupum, vinculis cõſtrictum, videre viſus fuerit; hoſtem huiuſmodi captiuum accipiet.

CCLXXVII. DE VVLPIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum interpretationibus.

SI quis cum vulpecula pugnare viſus ſibi fuerit, cum homine quodam ſuo, eoq́; verſuto, rixabitur. ac ſi quidem viſus ſibi fuerit ab illius vnguibus lęſus, ab homine ſuo vexationem inueniet, ac reſpondentem vulneri ſollicitudinem. Sin ipſe vulpem occidiſſe viſus ſibi fuerit, ab ærumna liberabitur.

Si quis longo ex interuallo reſpicere vulpeculam viſus ſibi fuerit, ex torminibus & flatibus in morbum incidet.

Sin vulpeculam ad ſe reſpicientem videre viſus fuerit, à dæmonibus morbo adfligetur.

Si cum vulpecula colludere viſus ſibi fuerit, aut eam, ceu manſuefactam, in ædes ſuas deportaſſe: in amorem peſſimæ mulieris incidet, & ab ea veneficijs circumuenietur.

Si lac vulpinum bibere viſus ſibi fuerit, ſi quidem æger eſt, conualeſcet: ſin curis grauatus, ab eis liberabitur.

Si videre viſus fuerit adcurrẽtem ad ſe vulpe-

vulpeculam, quæ tamen ipſum prǽſtigijs ſuis non anteuertat: mulier in facinore depræhendetur, & pro vana habebitur.

Si rex viſus ſibi fuerit in venatu, vel itinere, vulpeculam inueniſſe: in hominẽ verſutum, & in planum incidet. ac ſi quidem vulpeculam occidit, in periculo & alter erit.

Conſimiles habent interpretationes tũ lycopantheræ, tum muſtellæ: ſed paulò tamen minoris momenti, & inferiores.

DE LEPORIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina. CCLXXVIII.

LEPORES ad ſcortorum, & earum mulierum perſonas referuntur, quæ fucatam & adſciticiam venuſtatem adfectant.

Si quis inueniſſe leporem viſus ſibi fuerit, huiuſmodi mulierem inueniet. ac ſi quidem viſus ſibi fuerit eius pellẽ ſuſtuliſſe, diuitias ex ea lucrabitur.

Si aſſata carne leporina veſci viſus ſibi fuerit, & opes ab ea conſequetur, & in morbum incidet.

Si leporẽ perſequi viſus ſibi fuerit, eiuſmodi mulierẽ amabit, eamq́; ſectabitur.

Si viſus ſibi fuerit in perſequendo conieciſſe virgam, vel aliquid aliud: ſiquidem leporem adtigit, eoque potitus eſt: deſiderio votoque ſuo ſatisfaciet. ſin autem, ad iracundiam & acerbitatem mulier hominem irritando prouocabit.

CCLXX. IX.
DE CANIBVS, INDORVM, *Perſarum, & Aegyptiorum rationes.*

CANES ad inimicos referuntur.

Si quis adlatrantem ſibi canem videre viſus fuerit, verbis infami cum hoſte dimicabit. ac ſi quidem à cane viſus ſibi fuerit morſus, ab eiuſmodi hoſte vexabitur.

Si videre viſus fuerit, canem lacerantem veſtes ſuas, ab hoſte infami diuitiarum & gloriæ detrimentum ſentiet.

Si canem occidit, hoſtem eiuſmodi perdet.

Si carne canina veſci viſus ſibi fuerit, opes hoſtis infamis adquiret.

Si lac caninum bibere viſus ſibi fuerit, in terrorem & morbum diuturnum incidet.

Quòd ſi conſpectus per quietem canis paſtoricius eſt, aut ferus: hoſtis ille peregrinus

grinus & extraneus erit. Sin leporinus, ex familiaribus.

Si rex omnigenos canes adlatos ſibi videre viſus fuerit, vel peregrè, vel ex regione propria: tam milites belli peritos, quàm ſuos homines aduerſus hoſtes colliget. Nam in viſis regijs, per quemlibet canem miles intelligitur.

DE CATO, PERSARVM *& Aegyptiorum rationes.* CCLXXX.

GENERALITER catus in quorumlibet viſis ad perſonam furis, tam maris, quàm fœminæ, refertur.

Si quis dimicaſſe cum cato, vel catum occidiſſe, viſus ſibi fuerit: furem vinculis conſtringet, & perdet.

Si notus eſt catus, fur quoque notus erit: ſin ignotus, fur peregrinus erit, & extraneus.

Si carnem felinam vel ſuſtuliſſe, vel habere viſus ſibi fuerit: à fure diuitias, carni reſpondentes, conſequetur.

Si pellem cati vel inuenerit, vel ſuſtulerit: vniuerſas furis facultates auferet.

Si cum cato dimicans, viſus ſibi fuerit ab vnguibus eius læſus: in morbum vehemen-

hemẽtiſſimum, & adflictionem incidet.
Si videre viſus fuerit mordentem ſe catum, diuturno cum morbo & debilitate graui conflictabitur.

DE PORCIS, INDORVM, Perſarum, & Aegyptiorum rationes.

CCLXXXI

PORCVS ad perſonam hoſtis, qui contẽnitur, & tamen potens eſt, refertur. Si quis viſus ſibi fuerit manum conſerere cum porco ſilueſtri, cum hoſte potente & egregiè inſtructo bellum geret. Solent enim principibus viris hæc viſa duntaxat offerri. Quòd ſi alius quiſpiam huiuſmodi ſomnium habuerit, nihilominus ad illorum perſonam referatur. Sin pauper, aut plebeius: ab hoſte terrorem, & adflictionem, & cruciatum inueniet.

Si quis apro inſidere viſus ſibi fuerit, hoſtem ſuum, virum ampliſſimum, in ſeruitutem rediget. Sin is, qui ſomnium habuit, pauper eſt: ad conditionem excelſam, & magnas opes euehetur.

Si rex videre viſus fuerit adlatos ſibi ſilueſtres apros, vel quod eos ipſe venando ceperit: hoſtes potentes, pro conſpectorum

ctorum per quietem aprorum ratione, vinctos colliget.

Si porcos cicures adlatos videre viſus fuerit, eadem erit interpretatio, ſed prædictis tenuior atque inferior exitus.

Si carnem ſuillam manducare viſus ſibi fuerit, aurum & opes manducationi reſpondentes inueniet.

Si quis inſtar porci viſus ſibi fuerit incedere, celerem læticiam inueniet.

Si quis porcum habentem cornua videre viſus fuerit, hoſtis ſui ſublimitatem & gloriam, pro cornuũ modo, videbit.

Si talem porcum rex adlatum ſibi videre viſus fuerit: hoſtem ſuum, magnæ admirationis virum, captiuum accipiet.

Si rex, aut princeps aliquis, per quietẽ adferri ſibi viderit porcum arietina cauda præditum: hoſtem valde locupletem & potentem habebit, quem opes ipſius comitabuntur.

Si rex adlatum ſibi porci caput videre viſus fuerit, vel quod de capite porci comederit: ipſam ſortem & ſummam opũ hoſtis ſui lucrabitur, ipſumq; cæſum ſuperabit.

CCLXXXII.

DE SIMIIS, PERSARVM *& Aegyptiorum interpretationes.*

SI quis domi ſuæ dimicare cum ſimio viſus ſibi fuerit, is opulẽtum hoſtem, & improbum, & imbecillem in domo ſua conſpiciet: & cui tandem horum victoria per quietem obuenerit, is reapſe ſuperior euadet.

Si ſimiam necaſſe viſus ſibi fuerit, hoſtem eiuſmodi domo ſua ſummouebit.

Si ſimia viſa fuerit ei peregrina, per aliorum fraudem hoſtis eius, cui ſomniũ fuit oblatum, aduerſus ipſum veniet.

Si quis à ſimia morſus, aut ab vnguibus eius læſus eſſe, viſus ſibi fuerit: ab hoſte malo vexabitur, & grauem in morbum incidet.

Si carnem ſimiæ comediſſe viſus ſibi fuerit, opes modicas ab hoſte malo, nec multum locuplete, conſequetur.

Si ſomnium habuerit, quaſi vel oſcularetur eum ſimia, vel colloqueretur, vel demulceret: amore non puro, nec ſincero, improbitatem ſuam hoſtis in eum declarabit.

Si quis donatam ſibi ſimiam videre viſus

ſus fuerit, quam ipſe ſuam in domum receperit: ignotum & fraudulentum hoſtem in domum ſuam perducet.

Si quis viſus ſibi fuerit exhibere ſimiã in populi cõſpectu ludentem, is hoſtem ſuum in poteſtatem rediget, eiq́; illudet.

Generaliter ſimia de hoſte improbo, cui paruæ ſint vires, accipitur.

DE DRACONIBVS ET SERpentibus, *ex Indorum, Perſarum & Aegyptiorum diſciplina.* CCLXXXIII.

DRACO, regis ad perſonam refertur: ſerpẽtes, ad perſonas maximorum & paruorum hoſtium, pro ipſorum magnitudine.

Si quis in ſomnis ſerpẽtem maximum, ſiue draconem, videre viſus fuerit, qui ſcilicet inuentus ſit in domo, vel agro, vel caſtro, vel loco quodam: in eo loco rex aduerſarius conſpicietur.

Si quis draconem combuſſiſſe, vel arbores eradicaſſe, viſus ſibi fuerit: eius incolæ loci reſpõdentem flammæ & euulſioni arborum ærumnam experientur.

Si quis draconem fulgetris peti viſus ſibi fuerit, bellum & ruinam alteri regi,

qui hoſtis eſt ei regioni, portendi ſciat.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, ex regis alterius ruina & interitu voluptatem capiet.

Si regi per quietem viſus ſit adparere draco, alterius regis fama terrebitur.

Si rex videre viſus fuerit, draconem ſecum abſque terrore colloquentem: admirabili quodam modo cum alio rege opulentiſſimo pacem componet.

Si quis inueniſſe, vel comediſſe carnẽ draconis, viſus ſibi fuerit: à rege maximo diuitias carni manducatæ reſpondentes inueniet.

Si quis viſus ſibi fuerit interfeciſſe draconem, ſi princeps aliquis eſt, aut rex, alij potenti regi cladem inferet: ſin plebeius eſt, regno potietur. nam regi duntaxat hoc competit.

Si quis ſerpentem oppugnare viſus ſibi fuerit, ſi quidem illum occidit, hoſtem ſibi detectum, ſerpenti reſpondentem, vi diuina conficiet.

Si concidiſſe, vel rupiſſe ſerpentem, viſus ſibi fuerit: pro laboris ſuſcepti modo, diuitias ab hoſtibus ſuis nanciſcetur.

Si

Si rex viſus ſibi fuerit occidiſſe ſerpentem, hoſtem maximum quidem illum, ſed inferiorem rege, cædet.

Si rex viſus ſibi fuerit, à ſerpente morſus, quē deinde perſequutus occiderit: ab hoſtib⁹ vexabitur, & inſidiatores in ipſo facinore dephēſos è medio tollet.

Si rex videre viſus fuerit ſerpentem, in regia ſua cōſpectum: in palatio ſuo perduellem anteuertet.

Si quis carne ſerpentina veſci viſus ſibi fuerit, incremētum diuitiarum ſuarum, atque de hoſtibus læticiam percipiet.

Si quis cū ſerpente viſus ſibi fuerit colloqui, gaudium atque lęticiam inueniet, hoſtibus etiam pacem colentibus.

Si ſerpentem mortuum inueniſſe viſus ſibi fuerit, in hoſte ſuo reperiet, quidquid animo ſuo exoptabat.

Si quis in aureum ſerpentem maximū, gemmeis ſquamis ornatum ac diſtinctū in tergo, incidiſſe viſus ſibi fuerit, eumq; ſuum feciſſe: regnum & dominatum populi conſequetur. atque hoc ipſum quoque regibus, aut ei qui regno potiturus eſt, vel qui militū copias habet, cōpetit.

Si rex inueniſſe ſerpentem aureum & varium, draconi ſimilem, viſus ſibi fuerit, aut talem ab alijs adlatum ſibi: magnam auri copiam conſequetur, ex aliorum regum theſauris.

Si rex, aut alius quiſpiam, exiſſe viſus ſibi fuerit ad locum quēdam, vbi magnos ſerpentes cum alijs paruis conſpexerit: eum in locum magnus hoſtis quidam ſuo cum populo veniet. ac ſi quidē eos per quietem occidit, hoſtes quoque cædentur: ſin illis mordentibus, ipſi fugerunt: victoria penes hoſtes erit.

Si quis ſomnium habuerit, quaſi ſibi ſerpens magnus, aut mediocris adparuerit, vel vulnus inflixerit: & morbum, & terrorem hoſtilem experietur.

Serpētes generaliter ad hoſtes, eorum magnitudini reſpondentes, referuntur.

CCLXXXIIII. DE FVCIS, ET APIBVS, TAM *ſilueſtribus, quàm domeſticis: Indorum, Perſarum & Aegyptiorum rationes.*

SI quis ſomnium habuerit, quaſi per quietem conſpexerit fucos flaui coloris in locum, vel regionem quandam delatos: in eum locum hoſtis veniet, inſtar

ſtat animalculi vitibus infeſti, quod cercum vocant. ac ſi quidem videre viſus fuerit pungentes eius regionis incolas, fucorum plagæ damnum ab hoſtibus illatum reſpondebit.

* * *

ab ampliſſimo & eminenti viro diuitias conſequetur, pro modo mãducationis, & alarũ ratione, quæ poteſtatẽ denotãt. *Hic quoque folium vnum deeſt.*

DE STVRNIS, ET LVSCInijs, & hirundinibus, Perſarum & Aegyptiorum ſententia. CCLXXXVIII.

STVRNI & hirundines ad copias caſtrenſes referuntur, itemq; volucres illæ, quæ locuſtas deuorant.

Si quis has aues gregatim veniſſe quendam in locum, videre viſus fuerit: ſi quidem locuſtæ iſtic erant, ad defenſionem ſubſidiumq; loci rex ſuos ablegabit exercitus, pro modo multitudinis auium per quietem conſpectarum.

Si non propter locuſtas venerunt, arboribusq; loci damnum dedere: hoſtis eò veniet, omniaq; vaſtabit, pro modo damni ab eis dati. Si nihil damni datum

eſt,nec tempus id erat,quo fructus in arboribus exiſterent: multitudo populi quædam eò veniet, abſque detrimento.

Generaliter hæc, cuicunque per quietem offerantur, de populo accipiuntur.

Si luſcinia per quietem conſpecta fuerit,ad iucundũ ea nũtiũ refertur, prout ipſa luſciniæ vox ſuauis eſſe viſa fuerit.

Sin luſciniam tenuiſſe,viſus ſibi fuerit, vel [a]clubio concluſiſſe: optatum ſeruum vel ancillam inueniet, quorum ſolatio fruatur.

a Id eſt, auiario.

DE PAVONE, PERSARVM *& Aegyptiorum rationes.*

CCLXXXIX.

SI quis inueniſſe pauonẽ viſus ſibi fuerit,& opes ingẽtes,& ſplendidã dignitatem, vel vxorẽ formoſiſſimã inueniet.

Si domi pauonem manſuefactum habere viſus ſibi fuerit, cum diuitijs vxorẽ inueniet, quæ marẽ glorioſum & illuſtrẽ pariet,propter aureum ſplendorẽ alarũ.

Si carnem pauonis edere viſus ſibi fuerit,à rege diuitias conſequetur. Nam pauo ſæpiùs & regem non magnum denotat, propter ornatum alarum, & criſtã, quam in capite gerit.

Si carnem pauonis fæminæ comedit, diuitias ab ampliſſima muliere conſequetur.

Si pauonem ſuum maſculum mortuũ videre viſus fuerit, vel quòd perierit: in adflictionem incidet,& paupertatem,& in dignitate ſucceſſor ei dabitur: ſin pauo fæmina fuerit, ad vxorem ipſius ſpectabit calamitas.

DE CICONIA, ET GRVE, *ex Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum diſciplina.* CCXC.

GRvs ad inopiam generaliter refertur, ciconia verò ad perſonam potentem & illuſtrem, propter naturalem in ciconia vim concoquendi ſerpentes.

Si quis inueniſſe gruem, vel ciconiam, viſus ſibi fuerit: in homines inopes incidet, de quibus nihil lucri percipiet.

Si quis domi ſuæ grues alere viſus ſibi fuerit, inopes paſcet, eaq; re famam ſibi pariet.

Si grues mactaſſe viſus ſibi fuerit, in pauperes iniuſtus erit.

Si videre viſus fuerit eas auolantes, ſe relicto: periculis & incõmodis illis liberatur.

Si quis inueniſſe ciconiam viſus ſibi fuerit, à morbo gaudium cum valetudine proſpera inueniet.

Si rex, aut ampliſſimus vir aliquis, habere ciconiā cicurem, ſiue domeſticam, viſus ſibi fuerit: hominem virtute præditum, artisq́; medicæ peritū inueniet.

Si carnem gruis, aut ciconiæ, comediſſe viſus ſibi fuerit: ex gruis quidem manducatione, morbum inueniet: ex ciconiæ verò, ſanitatem & diuitias.

a fortaſſis oua: vt ὠὰ pro ἀέρα legatur.

Si quis inueniſſe [a] . . . ciconiæ viſus ſibi fuerit, diuitias ijs reſpondentes à viro illuſtri conſequetur.

CCXCI.

b nomen hoc auis eſt.

DE [b]LVPE, EX PERSARVM *diſciplina.*

LVPES ad perſonam egregij militis, & graſſatoris refertur.

Si quis adpræhendiſſe lupem viſus ſibi fuerit, vel eum iugulaſſe: in talem hominem impudentem incidet, eumq́; conficiet.

Si lupem in venatu furti cauſſa ſe habuiſſe per quietem putauerit, talem virum ſatellitem ſuum faciet, eumq́; mittet ad faciundum non magni momenti

furtum,

furtum, propter exilem auis huius vſum in venatione: quæ quidem generaliter de fure intelligitur, eodemq́; viſorum euentus ſpectat.

DE CORVIS, ET CORNICIbus, & aue, quam [a] Lipopulum vocant: ex Perſarum & Aegyptiorum interpretationibus.

CCXCII.

[a] *Quaſi dicas deſertricem pullorum. corui ſpecies eſt.*

SI coruum quis inueniſſe viſus ſibi fuerit, in hominem ſenem, vetulum, peregrinum, inopem, guloſum incidet.

Si coruum domeſticum & cicurem, habere viſus ſibi fuerit: eiuſmodi hominem domi ſuæ habebit.

Si cornicem habere viſus ſibi fuerit, hominem vigilacem inueniet, ſeruumq́; vel ancillam mendacem.

Si rex, aut ampliſſimus vir aliquis, videre viſus fuerit crocitantem in domo ſua cornicem: ſi per quietem hoc boni vel mali ominis loco duxit, eiuſmodi nuntiũ accipiet. ac ſępenumero in hiſce de cornicibus ſomnijs, falſus eſt ſuſpicionis exitus.

Eadẽ eſt interpretationis de lipopulo ratio, niſi quod paulò tenuiora portenduntur.

CCXCIII. DE COLVMBIS, ET TVR-
ture, & palumbo: ex Indorum, Perſarum, & Aegyptiorum diſciplinis.

SI quis accepiſſe columbam ab aliquo viſus ſibi fuerit, è terra peregrina: læticiam cum diuitijs inueniet, ac fortaſſis vxorem quoq; ducet, ac fæmillam procreabit.

Si plurimas columbas inueniſſe viſus ſibi fuerit, quæſtuoſas & lucroſas ratiões inueniet, pro columbarũ multitudine.

Si pullos columbarum inuenit, ſeruos puſillos & minorẽnes feliciter inueniet.

Si columbarum nidos inueniſſe viſus ſibi fuerit, ipſisq́; cum pullis eos ſuſtuliſſe: familias captiuas conſequetur, easq́; rediget in ſeruitutem, & inde læticia diuitijsq́; potietur.

Si columbam habere viſus ſibi fuerit, quæ auolando aufugerit: ab vxore ſeparatur, vel à filia, vel ancilla lucroſa.

Si videre viſus fuerit columbas ſuas iugulatas, aut mortuas: pro earum numero ſeruos ſuos amittet.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, non ad ipſius milites, ſed ſeruos fabricenſes, & textores refertur.

Si

Si quis edere columbas, aut pullos columbarum, viſus ſibi fuerit: aut ab alijs eos accepiſſe: diuitias & læticiam à ſeruo habebit.

Turtur & palumbus ad res eaſdẽ referũtur, ſignificatione tamẽ imbecilliore.

Si mulier videre viſa fuerit columbam, vel palumbum, vel turturem in capite ſuo conſidentem, ipſaq́; prægnas eſt: filiam pariet.

DE GALLIS GALLINACEIS, *& gallinis, ex Perſarum & Aegyptiorum monumentis.* CCXCIIII.

SI quis inueniſſe, vel habere gallinas viſus ſibi fuerit: ſeruos quæſtuoſos inueniet, illis tamen inferiores, qui per columbas denotantur.

Si gallinas, cum plurimis pullis, inueniſſe viſus ſibi fuerit: ſeruos cum liberis nanciſcetur, pro modo conſpectæ per quietem multitudinis.

Si diſcerptas videre viſus fuerit, amiſſio calamitasq́; viſo reſpondens portenditur.

DE GALLINIS, EX *diſciplina Perſarum.* CCXCV.

SI quis inueniſſe gallinas ſuas viſus ſibi fuerit, opes minores à ſeruis conſequetur.

Si gallum gallinaceum elegantem habere viſus ſibi fuerit, inueniet curatorē pro ſeruis ſuis vtilem.

Si cum gallo gallinaceo pugnare viſus ſibi fuerit, inueniet adflictionem, & cū illo curatore ſuo rixam.

Si viſus ſibi fuerit eum iugulaſſe, ſeruū ſuum vel curatorem amittet.

Si diſcerptus ſit, eadem erit interpretatio.

CCXCVI. DE ANSERIBVS, EX PERſarum ſententia.

ANSERES de ſeruis quæſtuoſis & mitibus intelliguntur.

Si quis multos anſeres inueniſſe viſus ſibi fuerit, eiuſmodi ſeruos cōſequetur.

Si quid eis acciderit, vel ſi diſcerptos videre viſus fuerit: conſimilis eſt interpretatio.

Si quis anſeres edere viſus ſibi fuerit, opibus atque lætitia potietur, per ſeruos eiuſmodi, pro modo pinguitudinis anſerum.

Si quis alam anſerinam inueniſſe viſus ſibi fuerit, opes durabiles inueniet, propter alarum celeritatem.

Si videre viſus fuerit, anſeres fœminei ſexus, ancillas optatas conſequetur.

Si quas ex ijs amiſiſſe viſus ſibi fuerit, ad optatam & dilectam ancillam calamitas ea pertinebit.

Generaliter anſeres, tam maſculi, quã fœminei ſexus, ad ſeruorum & ancillarũ perſonas referuntur: & quidquid de his alicui per quietẽ oblatum fuerit, in iſtis exitum ſortietur.

DE PERDICIBVS, EX PERſarum & Aegyptiorum diſciplina. CCXCVII.

PERDIX ad formoſam & elegantem fœminam refertur.

Si quis igitur in ſomnis videre viſus fuerit inuentam ab ſe perdicem cicuratam, aut quod eam habuerit domi ſuæ: ex animi ſui voto vxorem inueniet, eamq́; formoſam, & probam ac beneuolam.

Si perdicem feram adpræhendiſſe, vel ab alio quodam viſus ſibi fuerit, accepiſſe: vxorem inueniet, formoſam quidem illam, ſed contentioſam, & quæ non niſi diffi-

difficulter adiri poſſit.

Si perdicem habuiſſe viſus ſibi fuerit, ac perdidiſſe: ab vxore ſua ſeparabitur.

Si perdicem comediſſe viſus ſibi fuerit, opes in re veſtiaria conſequetur à muliere.

Si mulier inueniſſe perdicem viſa ſibi fuerit, ſi prægnas eſt, femillam pariet: ſin autem, femillam concipiet, ac pariet.

Si rex venari perdices viſus ſibi fuerit, tam in Auguſta, quàm alijs mulieribus voluptatem inueniet.

Cõſimiliter ſi perdicibus veſci viſus ſibi fuerit, cũ optata muliere rẽ habebit.

Perdices enim vniuerſè de vxoribus, & filiabus accipiuntur.

CCXCVIII.

DE MVSCIS, ET CVLICIbus, *Indorum, Perſarum, Aegyptiorumq́; rationes.*

MVSCÆ & culices, de hoſtili nuntio, deq́; morbo intelliguntur.

Si regi per quietem oblatũ fuerit, quaſi quo loco verſaretur ipſe, plurimæ vel muſcæ, vel culices aduenißent: in adflictionem incidet, ac ſollicitudinem, acerbitatemq́;, propter acceptum de exercitu ſuo nuntium. Ea-

Eadē eſt de belli ducib' interpretatio.

Si pauper, aut plebeius quiſpiam, ſomnium hoc habuerit: adflictionem inueniet, ac morbū, mortiſq; deploratione͞.

Si quis videre viſus fuerit muſcas, aut culices, os narésue ſuas ingreſſas ſubitò: cum ærumna & doloribus ruinam hoſtium ſpectabit.

Conſimiliter ſi quis videre viſus fuerit, quaſi multitudo quædam muſcarū, aut culicum, in locum quendam venerit: eò loci hoſtium expectet aduentum, & incolarum adflictionem.

DE FORMICIS, EX PERſarum & Aegyptiorum monumentis. CCXCIX.

FORMICÆ plerunque mortem portendere iudicantur.

Si cui viſum per quietem oblatum fuerit, quaſi quo loco ipſe habitaret, ex foramine quodam multitudo formicarum proruperit: hoc ipſum de morte ſua, breui ſequutura, interpretetur.

Si quis videre viſus fuerit formicas incedentes in via, domumq; ſuam ingreſſas: in morbum duntaxat incidet, ipſiuſque familiæ augeſcent.

Si

Si quis formicas frumentum geſtantes, domum ſuam egreſſas, videre viſus fuerit: & morbo liberatur, & mala familia, & formidine, qua cruciabatur.

Si quis in area, vel horreo ſuo, formicas videre viſus fuerit: in adflictionem & paupertatem incidet.

CCC. DE LOCVSTIS, EX INDOrum Perſarum, & Aegyptiorum diſciplinis.

LOCVSTA generaliter ad hoſtiũ multitudinem haud dubiè refertur. Sic enim ſacris in literis perſcriptum eſt, locuſtas iuſſu diuino ad vaſtationes regionum inſtar alicuius exercitus proficiſci.

Si quis aut rex, aut poteſtate præditus, locuſtas aduerſus aliquam regionẽ profectas, videre viſus fuerit: eo in loco multitudinem hoſtium cum magna potentia expectet, quantumq; locuſtæ damni dederint, tantundem & illi nocebunt.

Sin alicui nihil illæ nocuiſſe viſæ fuerint, ſed duntaxat illac tranſijſſe, vel in loco manſiſſe: copiæ militares eò ſine maleficio venient.

Si regi viſum hoc oblatum fuerit, pro mul-

multitudine locuſtarũ, & adflictionem experietur, & bellum hoſtile.

DE † TROGLETIS, ET DIuerſis paſſeribus, ex Perſarum & Aegyptiorum interpretationibus. CCCI.

† ſpecies eſt hirundinũ, ſic adpellatarũ, quod in foraminibus & cauernis nidulentur.

SI quis tenere paſſerem viſus ſibi fuerit, ab amico ſuo ignominias audiet atque conuicia.

Similiter ſi multos tenere paſſeres viſus ſibi fuerit, lites & rixas aduerſus amicos & neceſſarios ſuos inſtituet.

Si videre viſus fuerit magnam paſſerum garrientium copiam, domũ ſuam ingreſſam, erogationem & expenſas è domo ſua faciendas, vel per hominem quendam ipſius, vel per ipſummet, portendi ſciat.

DE AVIBVS AQVATICIS, ex Perſarum & Aegyptiorum ſententia. CCCII.

SI quis viſus ſibi fuerit aues tenere marinas, aut ſtagnis, aut aquis ſimpliciter gaudentes: rem exoptatã animo ſuo conſequetur.

Si de his aliquas iugulaſſe viſus ſibi fuerit, optabiles & iucundas diuitias in-

ueniet, pro manducationis modo.

Si viſus ſibi fuerit alas earum collegiſſe, hoc ipſum quoq; diuitias portendit, ſed aliquanto minores.

CCCIII. DE CANCRIS ET ALIIS, *quibus teſtacea ſunt operimenta, Perſarum Aegyptiorumq́; rationes.*

CAncer ad hominem verſutum & inemẽdabilem refertur, propter tortuoſum animalis huius inceſſum.

Si quis inueniſſe viſus ſibi fuerit cancrum marinum, vel amnicum, in hominem verſutum & inopem incidet, commorantem in regum aulis, aut ampliſſimorum virorũ ædibus: idq́; propterea, quod mare de regia, fluuij de magnatibus accipiantur.

Si quis ediſſe vel cancrum, vel aliud quid opertum teſtaceo tegmine, viſus ſibi fuerit: à tali viro quæſtum modicum, & ſanitatem conſequetur. Nam ex huiuſmodi animalibus ad curationẽ corporum multa ſunt inuenta.

Si viſus ſibi fuerit oſtreis veſci, vel alijs

alijs talibus: in morbum incidet.

DE CONSIDERATIONE AC *interpretatione ſomniorum, conſentientes Perſarum & Aegyptiorum rationes.* CCCIIII.

INſomnia, ſicuti iam antea diximus, ad diuerſas perſonas diuerſe referuntur. Nam in vno & eodem viſo nocturno, alia regis de perſona eſt interpretatio, déque plebeiis alia: alia de agricola, & alia de milite: alia de magnatum aliquo, & alia de inope. Iudicium de viris aliud, & aliud de feminis. Alia per æſtatem, aliáque hiberno tempore promenda interpretatio. Aliter ſtatuendum id temporis, quum dies incremenmentum ſumit, aliter, quum deminuitur. Aliter luna creſcente, ac rurſus aliter eadem decreſcente. alia denique viſa celeriter euentura iudicantur, alia tarde. Atque hæc, vti diximus, antea relata ſunt in interpretando ad perſonas quaslibet, puta regis & pauperis, ampliſſimi viri & plebeiorum, mulieris & viri, militis & agricolæ.

Sunt igitur interpretationes conformandę tam ad hybernum, quàm ad ęſtiuum tempus. Nam tempus hybernum, & æſtiuum, in arboribus & plantis reſpici ſolent. Quippe ſi cui viſum aliquod de arboribus offeratur; isq́; te de illo ipſo inſomnio cōſulat: tu viciſſim de noctis hora perquirito.

Nam quæ ad tertiam noctis horam vſque, per quietem offeruntur, eorum euentus ad annum uſque vigeſimũ extenditur.

Quæ ab hora tertia conſpiciuntur in ſomnis, vſque ad ſextam, eorum euentus ad octo, vel decem, vel quindecim annos ſeſe porrigit.

Quæ á ſexta, vſque ad nonam, iis reſpondet euentus ad quinque, vel quatuor, vel tres annos.

Quæ ab hora nona ſeſe offerunt viſa, vſque ad matutinum tempus: iis ad vnum vſque annum, vel ſex, vel tres menſes, vel menſem vnum, vel decem dies reſpōdet euentus. In Auguſtæ perſona tamen hæc vel ipſo illo die, vel intra duos, vel tres dies eueniunt.

De

De horis autem diei nihil definimus. nam plerumque ad horam diei ſeptimam res extrahitur, atque ita reſpondet euentus inſomnio,

GLORIA TIBI DEVS NOSTER, GLORIA TIBI. AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX TITVLORVM, IN APOmaſaris apoteleſmata.

A.

de Ablutione Sordium & Amictu mundo. pag. 307
de Aedificiis. 159. 162
de Agro & ſatione. 281
de Agris qui ſeruntur & ſationibus. 277
de Amputatione Capitis. 107
de Angelis. 5
de Anulo. 356
de Anſeribus. 396
de Aqua in domo ſparſa. 244
de Aqua poculo hauſta. 243
de Aquarum ſcaturigine. 240
de Aquatione facta per veſtes lineas. 243
de Aquis. 258
de Aquis calidis. 241
de Arboribus. 261
de Arboribus & Plantis. 171
de Arbore bericocia. 265
de Arborum fructibus. 285
de Armis. 183
de diuerſis Armorum ſpeciebus, 353
de Auctis crurium pilis, 20

de

de Aſinis. 316
de Auibus aquaticis. 401
de Auribus. 41

B.

de Bobus. 323
de Boue. 325
de Brachiis eorumq́; ſuris. 61

C.

de Cæde ac Iugulatione. 110
de Calceis, & Tibiariis, & Braccis. 342
de Camelis velocibus. 319
de Camylauchio. 287
de Canibus. 380
de Capillis Muliebribus. 365
de Capitis Manducatione. 31
de Cato. 381
de Cancris, & aliis quibus teſtacea ſunt operimenta. 402
de Ceruice. 57
de diuerſis Cibis. 338
de Ciconia & Grue. 391
de Cinamomo. 344
de Circumuolutione fuſi. 362
de Clauiculis humerorum. 60
de Coloribus, Equorum & ſellariis regũ. 313
de Columbis & Turture & Palumbo. 394

de Colloquiis illorum, quæ à natura loqui nequeunt. 285
de Conſideratione ac interpretatione ſomniorum. 402
de Corona & Sertis. 349
de Coronis & Vnionibus, & Gemmis. 349
de Coruis & Cornicibus. 399
de Coſtis. 80
de Coxis & renibus. 81
de Cruribus & Pedibus. 103
de Cucurbita, Pepone, ac ſimilibus 268
D.
de Dentibus. 51.54
de Dentibus infimis, tam ſuperioribus, quàm inferioribus. 56
de Dentibus quos Caninos vocant. 55
de Draconibus & Serpentibus. 385
E.
de Elephanto. 371
de Equis. 178.180
de Equis maribus & fæmininis. 310
F.
de Faceolis. 300
de Femoribus. 87
de Fide. 9.13.15
de Fluminibus. 225.229
de

de Formicis. 399
de Frontibus & Naſo. 48
de Fructibus omnigenis ſiue de pomis 266
de Fucis & Apibus, tam ſylueſtribus, quàm domeſticis. 388

G.

de Gallis gallinaceis, & gallinis. 395
de Genibus. 89
de Genis, Cerebri membranis & ore. 49
de Gramine, Acantha, ſiue ſpina & ſenticeto. 282

H.

de Hominis membrorum ſignificatione. 21
de tota Hominis carne. 76
de Humectatione veſtimentorum. 246
de Hyæna. 376

I.

de Igne. 193.198
de Igne gehennæ. 4
de Imaginibus. 168
de Inteſtinis, & interiore membrorum quaſi ſylua. 72
de Iudicibus. 16.17.18

L.

de Lana, Metaxa & Goßipio. 293
de Latere. 246

de Lauacro. 241
de Leone & feris beſtiis. 368
de Leopardo. 374
de Leporibus. 379
de Lepra. 100
de Lepris, ſiue Squamis cutis. 97
de Limfaticis. 98
de Lingua. 52
de Locuſtis. 400
de Lupo. 377
de Lupe. 392
de Luto. 223

M.

de Macie corporis, ſiue gracilitate. 102
de Manibus. 63
de Mari. 231
de Medicario. 275
de Migrationibus. 161
Mortuorum reſurrectio. 1.2
de Mortuis & Morte & Sepultura. 130. 134
de Moſcho, & Compoſita fragrantia. 26
de Mulieribus. 121
de Muliere Sacerdotis. 142
de Mulieribus & ſuctione Mammillarũ. 117
de Mulis. 315
de Muſcis & Culicibus. 398
de

N.

de Nauibus. 234.237
de Niue, & Grandine & Gelu. 247
de Nubibus. 205
de Nuditate. 105
de Nuptiis. 128
de Nutibus. 114
de Nutibus oculorum & contractione Nuptiarum. 113

O.

de Oculis. 43.45
de Oleribus & leguminibus. 272
de Omnigenis Ouib. & Ceruis & Hircis. 332
de Oſculis. 139

P.

de Palmis & earum fructibus. 260
de Palpebris & ſuperciliis. 47
de Paradiſo. 3
de Pardo. 373
de Pauone. 390
de Pectore. 67
de Perdicibus. 397
de Peplo. 363
de Perſicis manicis ſubucularum. 306
de Pila. 182
de Pilis barbæ, alarum, & pubis. 33

de Pilis corporis. 35
de Pilorum ſignificato. 22
de Pilorum tinctura. 39
de Pipere ac Sinapi. 274
de Piſtrino & confectione farinæ. 251
de Plagis & Vulneribus. 95
de Pluuia. 221
de Poſſeſsione terræ ac Aedificiorum. 146
de Porcis. 382
de Puteis. 239
de Purgante Medicamento. 143
de Prophetis, Apoſtolis & doctoribus. 7
de Pudendis. 86
de Puluinis, & Mappis ſiue Mantilibus. 296

R.

de Raphanis & Daucis. 276
de Rege & Cruce. 115
de Roſa & Ocimo. 269

S.

de Sandaliis. 305
de Sanguine ac Hulcere. 90
de Scoptulis & Mammis. 71
de Sellis & Tronis. 359
de Simiis. 384
de Sole, Luna & Sideribus. 209
de Somnio Protoſymbuli. 37

de

de Somnio cuiuſdam. 230
interrogatio de Somnio 160
interrogatio de Somnio quodam. 251
de Sponſa. 113
de Stercore & Vrina. 92
de Stillicidio tegularum abſq; pluuia. 249
de Sturnis, & Luſciniis, & Hirundinibus. 389
de Subſtraminibus & inſtratu. 297
de Suſpenſione in crucem, ſiue furcas. 78
T.
de Tapetibus in domo expanſis. 295
de Temulentia. 100
de Terræ motu. 156
de Terræ faucibus & alueis aquæ pluuiæ. 224
de Textura telæ. 363
de Trogletis & diuerſis paſſeribus. 401
de Tuberibus. 261
V.
de Vaſe quo ſuffitū facimus, & fumigatione. 27
de Vehiculo, ſiue curru, & Plauſtro. 329
de Velis & Velaminibus, ſiue Tapetibus. 360
de Ventis. 206
de Ventre. 69

de

de Ventris vermibus. 75
de Veſtitu. 286
de Veſtibus. 186.190
de Veſtibus virgatis. 290
de Veſtitu & tonſura. 28
de Veſtimentis talaribus. 301
de Verberibus, ſiue Flagris. 292
de Vermibus. 76
de Vino & potulentis. 254
de Virga ſiue Baculo. 284
de Virga virili. 82
de Viris & Mulieribus, ſtolas inter ſe permutatas geſtantibus. 366
de Vnguibus. 65
de Viſceribus & inteſtinis. 74
de Viſo cuiuſdam nocturno. 156
de Viſo quodam nocturno. 181
de Viſis per quietem ſacerdotibus. 165
de Vite arbuſtiua interrogatio. 29
de Vnctione. 25
de Voce. 42
de Volatu & Saltu. 202
de Vomitibus. 141
de Vrinis. 38
de Vrſis. 375
de

de Vulpibus. 378

Z.

de Zatricio. 331

de Zupa. 303

FINIS.